

R. D. BLASII

PALMÆ

CLER. REGUL.

Ex Congreg. S. Pauli,

THESAURUS INDEFICIENS,

Sive

ACTUS INTERNI VIRTUTUM.

Prostant LUBLINI,
In officina GEORGII FORSTERI. 1646.

PERILLUSTRI AC REVERENDISSIMO DOMINO, DOMINO

ALEXANDRO KESSOVVSKI,

Divina vocatione ABBATI OLIVENSI,

Domino & Fautori colendissimo.

AD Te demum libellus hic venire debuit, Reverendissime Domine, ut qui pluribus hoſpes fuerat, apud Te fieret domeſticus; & qui molis ſuæ parvitate repelli à pluribus poſſet, à tuis jam mani-

bus pondus haberet. Virtutis præcepta magna volumina nunquam ſatis loquuntur; Actus nonniſi minuti codices pariunt: plerumque enim præceptis divites, opere & actibus inopes ſumus. Et optimè ejus exiguitati conſultum arbitror, dum ad TE properat, futurus magnus, ſi Tibi Alexandro placuerit. ut & illa nuci incluſa Ilias magna audit; quia Magnum Tuum Cognominem delectavit. niſi tamen hæc pagina vel ideo Iliade major cenſenda ſit, quia & Tu illo Religionis ſanctitate major. Sed nec invidebit ei Alexandri caput pugioniſque Socie-
tatem,

tatem, cum Tiaræ, Pedoque Tuo ſanctiori fœdere jungetur; tunc maximè theſauri nomine digna, cùm ſinum tuum impleverit. Licet verò hi Actus in Vitæ tuæ integritate meliùs notari, quàm ullo codice comprehendi valeant; iique, ſi forte libellum hunc aut vetuſtas oblideraret, aut neglectus perderet, rurſum ex Virtutis Tuæ Habitu generari deſumiq; poſſent: quia tamen illi maximè tui ſunt, Tibi eos fero. Et ſanè melleum hoc opus etiam aliquid de gentilitiâ Keſſovviciorum roſa traxiſſe videtur (niſi tamen ea magis ſit Tua, qui quidquid calcas ro-

ſa eſt, & ubique bonus odor Chriſti audis) ut jure Uni Tibi dicandum cenſeatur. Nec Palma ulli meliùs jungi poterit, quàm Olivæ; eſt enim inter Pacem & Victoriam quædam cognatio. Hoc igitur cum opere Me ſimul tuum habe, Reverendiſſime Domine, cujus Oliva ut Pygmalionis auro feliciùs efflorescat, amicis apprecor votis. Vale. Dabam Dantiſci, Calendis Julii, Anno 1646.

Perilluſtris ac Reverendiſſimæ Dominationis Tuæ devotiſſimus Cliens

Georgius Förſterus.

PRÆFATIO AUTORIS.

Homo Christianus, ex vocatione sua, debet semper quærere conjunctionem, cum ultimo suo fine, qui est Deus; & ei, quantum potest, unire animam suam. Ad hoc faciendum, ut S. Dionysius Areopagita dicit, compendiosus, & facillimus modus, ac via est, si anima fidelis continuò, per inflammatas adspirationes, & frequentes amoris actus, affectus ac desideria, assurgat in Deum; interno affectu ad ipsum adspirando, cum ipso colloquendo, tractando; & ei denique corde puro, & inflammato desideret inhærere. Hæc, eodem Doctore, est admirabilis illa, & occulta Sapientia Unitiva, quæ sine prævia meditatione, & investigatione omni, trahit affectum amantis sursum in Deum: crescitque extensione affectus in illum: sese exercens brevi, crebra, &

ardente oratione, actuque virtutum: ita ut dicere poſſimus, fundamentum perfectionis, præſertim internæ, contineri certis quibuſdam actibus & motibus animi, erga Deum & proximum: quos hic per modum orationum propoſui. Ubi tamen cavendum eſt, ne, qui illas uſurpat, ullum votum, aut promiſſionem facere intendat, quæ vim habeat obligandi ſub novo præcepto: ſed tantùm per modum liberæ oblationis, & devotionis, eos actus exerceat: certus, quò ſæpius id eſt facturus, tantò ſe majus lucrum inde capturum: cum ſpe non vana, brevi exſolvendi ſe omni amore terreno, & uniendi ſe totum ei, qui ſolus, ſummus, & verè bonus eſt, Deo.

Quod ut rectiùs fiat, ipſis actibus præmiſi proteſtationem, qua anima, coram Deo, concipit rectam intentionem, & Voluntatem confirmat, ut, ſpretis omnibus aliis, quærat ſolius Dei gloriam, & obſequium.

The-

Thesaurus Indeficiens,

ACTUS INTERNI VIRTUTUM, QVIBUS FAcilè provehamur ad veram perfectionem,

EX ITALICO

Magna cum approbatione ſępius edito, à R. D. Blaſio Palma, Cler. Reg. ex Congreg. S. Paulli,

Latinè verſi

A. R. D. M.

Ioanne Zanini, Eccleſ. Colleg. S. Petri Dilingæ Canonico.

(PURA INTENTIO,)

Seu proteſtatio, operandi purè pro Deo, ſine omni commodo amoris, aut obſequii.

Omne, quodcunque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti facite. Col. 3.

I.

O Sanctiſſima, & Individua Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ego, miſera,

ſera, & miſerabilis creatura tua, firmo & conſtanti propoſito projicio me hodie totum in ſanctiſſimam, & juſtiſſimam, tuam voluntatem; & abnegando me ipſum, pleno corde dico, & proteſtor, quòd totus velim eſſe tuus; & nec habeam quidquam, nec habere velim unquam aliud, quàm te ſolum: te ſolum volo quærere, te ſolum amare ſimpliciter, ac purè, ſine meo commodo. Et firmiter nunc propono, deinceps Tuæ Majeſtati ſupremæ ſervire, & eandem amare, non tantùm ut effugiam pœnas, carcerem, aut infernum evitem; neque ut mihi des conſolationes, aut beatitudinem in altera, aut aliud quidquam deſiderabile in hac vita: ſed præcipuè, ut quæram te ſolum; velim te ſolum, amem te ſolum; tuque ſolus mihi ſufficias, qui es verum, unicumque complementum omnium.

mnium. Unde me tibi ſoli dono, & dedico in æternum,& firmiſſimè propono,toto meo corde, & tota anima mea te amare, tibiq; ſervire ſupradicta intentione,etiamſi viverem ſeculis infinitis. Atque ſic proteſtor, ſic ſtatuo,ſic volo.

II. Si dare vis mihi dulcedines & conſolationes, ſis benedictus: facies enim tanquam benignus & amabilis Deus, qualis fuiſti, ſemper es,& eris: & ego viciſſim ago gratias infinitas:ſicut etiam, ſi illas mihi dare non velis. Contrà, ſi immittere vis mihi pœnas & vexationes, iterum bene tibi dico,& infinitas gratias ago.

III. In hujus propoſiti confirmationem, nunc teſtem appello Beatiſſimam Virginem Mariam, Reginam cœlorum, cum omnibus Angelis, & Sanctis in cœlo degentibus: quos omnes rogo,ut intercedãt pro me, apud

apud tuam divinam Majestatem: quò meum hoc propositum te solum purè in omnibus, & nihil aliud quærendi, crescat, & impleatur. Quare, ô mi dulcissime Domine, ad te iterum me converto, & obsecro, ut digneris acceptare meũ istud propositum, & dare vires, quibus valeam illud implere: quia sine te prorsus nihil possum. Et quia me talem agnosco, ideo ad te recurro, me tibi commendo; totum committo, & in visceribus Misericordiæ tuæ abscondo. Suscipe me igitur, Deus meus: amplectere me, spes mea: immuta, & trãsforma me in te, per omnia, ô dulcissime Pater.

IV. Hac ipsa intentione, & fine, statuo me exercere in infrà scriptis exercitiis, & actibus virtuosis: quos si interdum ore, & opere explicare satis non potero, nihilominus intendo, & nunc propono, corde implere, omni

mo-

momento temporis, & semper; maximè in hora mortis, affectu maximo & excellentissimo; quo per me, vel aliam quamcunque creaturam fiunt, ac tu ipse scis, fieri posse. Et nunc illos omnes tibi offero, perinde ac si eos ipse elicerem: simulque toto corde te rogo, per infinitam tuam bonitatem, & misericordiam, ut eos acceptare digneris. Amen.

ACTUS FIDEI.

Sine fide impossibile est placere Deo, Hebr. 11.

Fides, tanquam fundamentum reliquarum virtutum, primum inter Virtutes Theologicas locum obtinet: & est habitus intellectus, à Deo infusus, quo Fidelis illustratus assentitur, atque adhæret iis, quæ ab ipso Deo, per Ecclesiam, revelata, & proposita sunt. Quod cùm ita sit, amplector ego nunc, ô fidelissime, verissime Deus, firmissima & pri-

ma Veritas, toto animo, fundamentum hoc Fidei: ideoque humillimè in terram proſtratus adoro. & veneror te, in cœlo & in terra: & optimo excellentiſſimoque modo, quo poſſum, firmiſſimè profiteor: & ex nunc, & in perpetuum, corde, & ore, omnia credo, quæ dixiſti, revelaſti, & propoſuiſti credenda: mediante ſancta Eccleſia: præſertim ea, quæ continentur in Symbolo Apoſtolico: affirmans omnia certiſſima eſſe, ut nihil omnino de ipſis poſſit in dubium revocari.

II. Ideo coram Tua Divina Majeſtate, & tota curia cœleſti, confiteor, & firmiſſimè proteſtor, velle me vivere, & mori in hac veritate. Cuperem etiam, ut univerſus Mundus firmiſſima fide te cognoſceret, & confiteretur: & ſummoperè doleo, quòd te non credat, adoret, veneretur, ſicut oportet. III.

III. Quare obſecro te per ſanguinem, vitam, & mortem Domini mei Ieſu Chriſti: per merita ſanctiſſimæ ejus Matris, & interceſſionem ſanctorum Apoſtolorum, Diſcipulorum, Martyrum, Confeſſorum, & aliorum Sanctorum & Electorum tuorum; velis in me, & omnibus hominibus, ſanctum iſtud lumen Fidei augere, & in Infidelibus illud accendere: ut eo magis omnes te agnoſcant, confiteantur, adorent, juxta deſiderium ſancti tui Prophetæ, cum quo exclamo: *Confiteantur tibi populi, Deus; confiteantur tibi populi omnes: omnis terra adoret te, & pſallat tibi, &c.*

IV. Offero quoque tibi, ſi opus fuerit, vitam & ſanguinem pro hac Fidei Veritate, & confeſſione. Atque utinam, ô Sanctiſſima Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus ſancte, tibi placeret da-

re mihi gratiam Martyrii, pro eadem obeundi. ego me non modò promtissimè, cum gratia tua, offerrem ad omnia aspera: sed etiam pro maximo beneficio reputarem, si multa crudelia, pro tuæ Veritatis amore, possem perpeti. Exaudi me, dulcissime Iesu.

ACTUS ADORATIONIS AD SS. TRINITATEM.

Dominum Deum tuum adorabis. Lucæ 4.

I.

DEus infinitæ Majestatis, & magnitudinis, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Si cultus latriæ, qui tibi soli Deo debetur, est actus internus simul ac externus, quo rationalis creatura te colit, humiliando se, animo te adorandi, & profitendi te Deum: Ecce ego, omni illa, qua pos-

poſſum, ſubmiſſione, & humilitate, poſitus coram tua divina Majeſtate, Deus meus, agnoſco me creaturam, & opus manuum tuarum, à te per omnia dependens: te univerſorum abſolutum Dominum; digniſſimum, qui pro tali ab omnibus honoreris, & habearis: infima cordiali ſubmiſſione humi proſtratus, & ex profunda abyſſo mei nihili tē adoro, adoratione latriæ: & tantæ Majeſtati in infinitum me ſubmitto, omnemque reverentiam, & honorem, quem poſſum, exhibeo.

II. Contentus etiam ſum, imò contentiſſimus, nihil eſſe, ac poſſe, niſi à te provenire; imò nollem eſſe, nec aliquid poſſe, niſi dependenter à te.

III. Ideo invito, & invoco Sanctiſſimam Virginem, beatos ſpiritus, & totam curiam cœleſtem; imò creaturas univerſas,

ut mecum adorent, venerentur, & agnoſcant tantam Majeſtatem; & jam nunc, unà cum illis te adoro, & agnoſco; imò iſto meo actu omnes alias adorationes, alios cultus, quibus hactenus affectus es, & quibus affici te conveniebat; omnes, inquam, eos cultus uno faſciculo comprehenſos, & colligatos, tibi offero, dedico.

IV. Tandem, ô Deus meus, confecro tibi omnia, qui es abſolutus Dominus univerſorum: ſingulariter autem omnes meas cogitationes, verba, & opera tam interna, quàm externa tibi offero, & conſecro; illud unum ſupplicans, ut in me perfectiſſimè impleatur amabilis tua voluntas, qua me creaſti, & vocaſti ad tibi ſerviendum.

Amen.

ACTUS AMORIS ERGA DEUM, ET proximum.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Lucæ 10.

I.

AMor tuus, Domine, tantæ eſt nobilitatis & excellentiæ, ut omnes Beati, & omnes res creatæ, quæque creari poſſunt, præſtantius nihil unquam poſſint agere, quàm ut te diligant. Et quia actus amoris eſt, bene velle rei amatæ, & gaudere de bono, quod habet; eique optare quod non habet: hinc eſt, ut & ego deſiderans exercere hunc excellentiſſimum actum, amoroſiſſime, amabiliſſime Deus, ac Domine, ſummè gaudeam, mihi complaceam, tibique congratuler, de tuis infinitis perfectioni-

bus,& attributis: quòd solus tu sis qui es,& summum infinitum bonum: sisque Deus inscrutabilis,& immensus,qui comprehendi non possis,neque satis ab ulla creatura cognosci.

II. Gratulor tibi tantam tuam super nos, & super omnia, potestatem,gloriam,dominationem, imperium: & quòd hæc habeas à teipso. Profectò, Domine, si per impossibile, aliquid ego possiderem, quo tu careres; illud omne tibi libentissimè cederem,& tribuerem: imò si possem esse Deus, nollem; tantum ideo,ut tu solus esses.

III. Opto quoque, & ex intimo cordis mei desiderio, desidero, ut omnes creaturæ, quæ sunt in cœlo & super terram: & omne,quod est,invenitur, & inveniri potest,& quodcunque esse à tuo esse dimanat, honorem tibi exhiberet, & obsequia: te lau-

laudarent, magnificarent, amarent omnes, inducti solâ tua infinita bonitate, & excellentiâ tuæ Majestatis: quia tu solus es omni amore dignissimus. Sed & maximo gaudio me afficit, quòd quidquid creaturæ præstare conantur tui amore, id omne longè sit impar tuæ dignitati, & magnitudini.

IV. Et quia tu ex te ipso summè es amabilis, toto pectore desidero te amare, illâ perfectione, quâ te amarunt, amant, & in æternum amaturi sunt omnes Beati. Et hac eadem affectione cordis, offero tibi illum splendorem, floremque charitatis, quâ tu te ipsum amas, amasti, & in æternum es amaturus.

V. Superabundo gaudio, infinitas tibi gratias ago, quòd tu ipsemet meum, & omnium creaturarum, officium suppleas, in amando te-ipso. Et hunc ipsum

amorem tuiipſius, offero tibi; in gratiarum actionem, pro omni gloria, honore, beatitudine qua frueris: unà cum omni illa gloria, honore, laude, quam unanimi conſenſu omnes beati Spiritus, & omnes juſti hujus mundi tibi deferunt. Et in ſumma, tuum eſſe, tuam gloriam, & omne tuum bonum in teipſo cupio, & propter teipſum.

VI. Et hoc tibi de me certum eſſe velim, ô dulcis Amor meus, quòd tam firma, tamque conſtanti voluntate ſtatuerim te diligere, ut, etiamſi mihi nihil unquam, neque in hac, neque in altera vita, boni velles conferre; imò ſi in hac vita omnibus ærumnis, & in altera ſuppliciis æternis me afficeres, nihilominus tamen amare te velim, & ex intimis medullis cordis mei tibi ſervire: ne ad momentum quidem tua me gratia adjuvante, ab amore

re tuo desistens, aut quidquam remittens. Quod ut clementissimè confirmare, & acceptare digneris, humillimè peto.

VII, Quando verò, piissime Domine, præcipis mihi, ut amem etiam proximum meum, pro tam dulci præcepto tibi gratias ago: & ideò, quantum possum, impello voluntatem meam, ad ipsum amandum. Cupio ipsum amare, precorque ipsi à te omne bonum, quo felicior, tibique gratior fiat: maxime N.N. à quibus rebellis mea voluntas nonnihil abhorret. Rogo, dimitte illis omnia sua peccata: & concede, ut arripiant remedia necessaria ad vitam æternam consequendam: quod si noveris expedire, ut ego caream aliquo dono tuo, quod ipsis attribuas: ecce Domine Deus meus, nihil detrecto. Magna me voluptate perfundit amor, quo illos prose-

queris: & perfectio, qua illos exornas: pro qua gratias tibi maximas habeo.

VIII. Quòd si, te permittente, continget me ab aliquo offendi, & vexari; nihilominus jam nunc te obsecro, priusquam illud eveniat, ut velis ipsi dare vitam æternam: & hoc, quia tu ipsum amas, egoque desidero tibi in omnibus conformari, ut nihil unquam velim, nisi quod vis tu ipse, Dominus & Deus meus. Amen.

ACTUS LAUDIS ET GRATULATIONIS.

Laudate Dominum omnes gentes. Psal. 116.

I.

LAus, quæ tibi, Deus meus, exhibetur, quantum colligo ex tua divina Scriptura, consisti-
in

in omni actu virtutis, qui vel corde, vel ore fiat, vel externo quopiam ſigno, ad manifeſtandam excellentiam divinæ tuæ Virtutis. Et Congratulatio eſt actus gaudii, quo afficimur de bono alterius, quod jam conſecutus eſt, ac poſſidet.

Velim ergò nunc, aſpirante gratia tua, elicere hos actus, & cor meum excitare, dicendo affectu intimo animæ meæ: Laudabiliſſime Deus, & Dominus meus, cum jubilo cordis mei pronuncio, proclamo, commemoro, totique mundo patefacio, quantum ſcio & poſſum, inæſtimabilem magnitudinem, excellentiam, & magnificentiam tuã; ut ſis infinitus, & immenſus: ut immutabilis, & æternus: ut potentiſſimus, ſapientiſſimus, optimus, ſanctiſſimus, & infinitæ perfectionis, Creator cœli & terræ, primum principium, & ultimus

finis

finis omnium rerum : qui omnia summâ providentia regis & gubernas. Horum omnium causa gaudeo, & gratulor tibi.

II. Et ideo nunc ego magno applausu, & toto pectore te laudo, exalto, magnifico, veneror : atque utinam hoc possim absque cessatione præstare, semper & in omni loco terrarum tantum, quantum te exaltant, magnificant, honorant, honorabunt, honorarunt, & honorare potuerunt simul omnes creaturæ, & omnes qui fuerunt, sunt, & futuri sunt.

III. Imò cupio tribuere tibi omnes illas laudes, quas potuissent, possunt, & poterunt dare beata Virgo sanctissima, Humanitas Christi: & tantum, quantum possunt dare infiniti Mundi, & infinitæ creaturæ, tam visibiles, quàm invisibiles, quas omnipotens manus tua creare potest.

Et

Et tantas laudes, tantos honores desidero tibi exhibere, quantos nosti fieri posse, & quibus es dignus. Quia verò me deficit facultas illud præstandi, opto saltem, tribuere tibi omnes illos honores, & laudes, quas cum tuo sancto auxilio referre possum, & quantis tu teipsum amoribus amas:. quibus nunc istum, qualemcunque meum affectum laudis, velut exilem appendicem, adjungo.

IV. Congratulor autem tibi, condelector, & lætor, quòd tu, Deus meus, sis tam magnus, tamque laudabilis, ut neque vires omnis creaturæ, in terra & in cœlo, sufficiant ad te dignè laudandum, & magnificandum: & gaudeo te ipsum, laudabilissime Domine, id, in supplementum illarum omnium, abundè præstare.

GRATIARUM ACTIO.

In omnibus gratias agite. 1. Theſſ. 5.

I.

QUia gratiarum actio, eſt manifeſta confeſſio accepti beneficii, tendens in benefactorem, in ſignum compenſationis: Ego nunc, liberaliſſime Deus meus, agnoſco te omnipotentiſſimum, miſericordiſſimum, à quo omne bonum procedit: & confiteor à te mihi proveniſſe innumera beneficia, & ſingulariſſima dona, ab inſtanti conceptionis meæ, uſque ad præſentem diem: qualia ſunt Creatio, Redemptio, Vocatio, donatio S. Spiritus, Conſervatio, & infinita alia ab iſtis profluentia, & in iiſdem contenta: licet eis fuerim indigniſſimus. maximè verò beneficio N, N. pro quo nunc, & pro

pro omnibus aliis, totâ conten-
tione cordis mei, totiſque viri-
bus, infinitas tibi gratias ago;
ſicut infinitus eſt amor tuus, &
charitas tua, qua illa mihi largi-
tus es.

II. Agnoſcens itaque me ti-
bi obligatiſſimum, ô Bonitas in-
finita, & neſciens, neque valens
referre tibi gratias, quantas de-
berem, & cuperem, invoco IE-
SUM Chriſtum, Beatam Virgi-
nem, & omnes creaturas, tam vi-
ſibiles, quam inviſibiles, ad a-
gendas tibi pro me gratias: & il-
las, quas ipſæ, quocunque grati-
tudinis genere, modoque tibi
reddiderunt, reddunt, & in æter-
num redituræ ſunt, ego illas pro
me nunc omnes tibi offero: &
unà cum illis, eodem affectu, re-
cognitione, & gratiarum actio-
ne, tibi gratias ago.

III. Neque hoc eò facio,
quaſi mea ſint iſta bona; ſed quia

tua ſunt. Ego enim promtus, & paratus ſum illis privari, quotieſcumque illa repetere tibi placuerit: & oro, ut idipſum facias reipſa, quotieſcumque judicaveris ceſſurum ad majorem tuam gloriam.

IV. Ago etiam gratias divinæ Majeſtati tuæ, quòd ſis, qui es: & pro omnibus bonis, quæ poſſides. Præterea in gratiarum actionem, & gratitudinem pro omnibus donis, & beneficiis conceſſis, & concedendis mihi, & aliis omnibus creaturis, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt; ſpecialiter pro his, quæ copioſiſſimè largitus es hucuſque ſanctis Angelis, & hominibus, beatiſſimæ Virginis, ſacroſanctæ Humanitati Filii tui, Domini noſtri, eo, quo maximè delectaris, ritu, modoque offero tibi, Deus, teipſum: qui es complementum, & perfectio omnium.

V. Neque his contentus, in signum gratitudinis, ex isto momento meipsum tibi dedico, dono, trado: cum desiderio & voluntate tibi fideliter serviendi, & cordialiter æternum te amandi: humillimè rogans, ut hoc, quale quale munusculum, undequaque tuâ Majestate indignum, etiam antea mille nominibus tuum, acceptare digneris. Amen.

ACTUS OBLATIONIS.

Sacrificium Sanctificationis offeres Domino. Eccl. 7.

I.

O Dignissime Domine, Deus meus, Pater, Fili, & Spiritus sancte, agnosco me per omnia tuum: cùm quia me creasti, tum quia me redemisti: ut omittam innumera alia beneficia mi-

hi præstita: pro quibus si millies me tibi singulis horis impenderem, nihilominus infinitè tibi obstrictus manerem, ac debitor. Quare ego jam talis, qualis sum, liberè, & maximâ, quâ possum efficaciâ, me tibi consecro, offero, & per omnia dono, in plenissimum holocaustum, animæ, & corporis mei: & omnium quæ habeo, vel unquam possum acquirere. Hoc autem facere cupio, eo modo, quo tu desideras, & quo maximè decet, ut me tibi offeram & consecrem. Ac proinde libentissimè, & liberalissimè, submitto me sanctissimis tuis præceptis, & nutibus in perpetuum. Et quia ego jam totus tuus sum, rogo ita me possideas ut nunquam ipse mihi ampliùs restituar, aut mei juris efficiar sed ut omne meum velle, facere dicere, non sit aliud, quàm quo voluntas tua sanctissima, & re-

ctissima vult me velle, facere, dicere: & meum non velle, non facere, non dicere, sit itidem tuum non velle, tuum non facere, tuum non dicere: fiatque purè solùm quando, quomodo, quantum tibi, dignissime Domine, placet à me fieri; non aliter.

II. Præterea offero tibi omnes divitias, & bona spiritualia rerum omnium, tum creatarum, tum earum, quas habes in thesauris omnipotentiæ tuæ: ita ut si omnes meæ essent, liberalissimè vellem tibi illas reddere: vel saltem ad solum tuum honorem, & amorem, expendere.

III. Offero tibi omnia bona spiritualia, cogitationes, verba, & opera bona, quæ fecerunt, faciunt, facturi sunt omnes homines, qui fuerunt, sunt, futuri sunt unquam in hoc mundo: imò omnes istas cogitationes, verba, &

actiones bonas, quas possent facere infiniti homines, quotque creari possunt à tua omnipotentia: ita ut, si possem, ex amore tuo eadem facere vellem illâ efficaciâ, qua tu scis maxima fieri posse: & illo modo, qui esset Majestati tuæ gratissimus.

IV. Offero quoque tibi omnes pœnas, dolores, martyria, & omnia mala pœnosa animæ & corporis, quæ passi sunt, patiuntur, & passuri sunt omnes homines, sive in mundo, sive in purgatorio, sive in inferno, in satisfactionem justitiæ tuæ, & augmentum gloriæ tuæ; & omnia, qua scis ab omnibus tolerari posse non solum in isto, sed etiam in centum millibus, & infiniti Mundis, Purgatoriis, & flammi infernis: ita ut si tibi placere cum gratia tua, omnia talia libenter propter amorem tuum

salutem meam, & proximi, vellem perpeti.

V. Præcipuè tamen offero tibi preciosum sanguinem, & infinita merita Domini mei IESU Christi; cum meritis beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, & unà cum illis omnia supra-dicta: sicuti etiam omnes meas cogitationes, verba, opera, studia, occupationes, actus hodiernæ diei, & totius vitæ meæ.

Denique desidero facere hanc oblationem, illo cordis affectu, quo tu nosti fieri posse flagrantissimo; & toties, quoties suspiro, ut totus in æternum sim tuus, tibique addictus. Amen.

ACTUS RESIGNATIONIS ERGA Deum.

Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum. 1. Pet. 5.

I.

MI piissime Domine, omni affectu cordis me abnegato per omnia, per omnia tibi me totum resigno, & maximo, quo tu scis fieri posse, desiderio, & quantum per me fieri potest, desiderio perfectissimè voluntatem meam in tuum divinum beneplacitum transfundere: in quo solo cupio mihi complacere, quiescere; & in nulla re alia. Quare te rogo, velis de me, meisque rebus omnibus disponere, quo modo, & quantum tibi placet, & videtur conducere ad majorem tuam gloriam. Et ita totus in te resignatus, offero me paratum ad acceptandum à potentissima tua manu, quidquid mihi acciderit in hac vita, sive illud prosperum, sive adversum fuerit.

II. Quare si vis me vivere, placet vivere: si vis me mori, contentus

tentus sum: si vis me sanum, accepto sanitatem: si infirmum, infirmitatem: si locupletem, divitias: si pauperem, volo paupertatem: si honorabilem, placet honor: si inhonoratum, non abhorreo ab ignominiis: vis me habere consolationem, & illam volo: si desolationem, ea me non terret: si me vis esse in gratia apud homines, volo & ego: si vis in odio, pro inimicis orabo, & in persecutionibus te laudabo.

III. Et ideo nolo habere oculos, nisi ad te videndum: neque aures, nisi ad te audiendum: neque linguam, nisi ad loquendum de te: neque cor, nisi ad te amandum: neque memoriam, nisi ad recordationem tuæ dulcedinis: neque intellectum, nisi ad agnitionem tuæ Majestatis: neque manus, nisi ad tuum obsequium: neque pedes, nisi ad te inveniendum; neque corpus, nisi tibi ad

victi-

victimam: neque vitam, nisi tibi in sacrificium.

IV. In summa, ita sine omni exceptione tuus esse volo, ut, me ipso exspoliato, & omni mea proprietate exuto, sanctissimæ tuæ Voluntati (quandoquidem meam jam tibi donavi, & irrevocabiliter redono nunc, & in perpetuum) omnes meas cogitationes, verba, & opera, tam interna, quàm externa, & omne meum esse, & posse, quæ gratia tua dignatus es mihi largiri, permittam, resignem, transscribam.

Neque volo quidquam velle, aut non velle, nisi quomodo, quando, & quantum tu vis: & non vis: ita ut tuum Beneplacitum sit meum summum, & ultimum desiderium, jucunditas, consolatio, omni tempore & in omni re. Quare piissime Domine, assiste mihi, tuâ sanctâ gratiâ, (sine qua scio me nihil posse,) ut omnia

omnia cedant in honorem & gloriam tuam, & perfectissimè adimpleatur sanctissima tua voluntas. Amen.

ACTUS SPEI ET CONFIDENTIÆ IN Deum.

Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Hebr. 10.

I.

SI Spes est Virtus menti nostræ à te, Deo meo, infusa, qua certò beatitudinem, per merita Iesu Christi, Filii tui, & Redemtoris nostri, per merita etiam nostra, gratia tua præventa, sperare debemus; ego, Deus meus omnipotens, totus inclinatus, & prostratus, te adoro & veneror: cui nihil im-

possibile, & difficile est, juxta verissimum illud de te scriptum: *Apud Deum non est impossibile omne verbum.* Et quia per eandem omnipotentiam tuam promisisti mihi cœlestem patriam: ideoque etiam me vocasti, ut essem tui similis, ô Bonitas infinita, per auxilium tuum, & bona opera, quæ cum gratia tua speciali statuo facere, spero, & à te solo consequi desidero, vitam æternam.

II. O verè omnipotens Deus, ecce ego apertissimè cognosco, tantum bonum mihi promissum, me possidere non posse, nisi te mediante: teque desiderare & velle illud mihi dare: ideo enim Filium tuum pro me in mortem dedisti.

III. Gaudio afficior, & jubilo, Christe mi Iesu, bonitas infinita, quòd per te solum possim beatus fieri: neq; aliud nomen sub cœ-

lo datum sit nobis, per quod salvi fiamus. Unde non placeret mihi beatitudo, nisi per te illam haberem: quandoquidem omnis spes mea, & fiducia in te est posita: eamque in te solo positam volo, benignissime & dulcissime Iesu, summum & ultimum bonum meum.

Et hinc tanto jubilo, tanta consolatione afficior, & tanta fiduciâ, ut videar mihi jam possidere bonum, quod desidero: quandoquidem scio, quòd Filius tuus unigenitus, per quem tantum bonum mihi vis dare, sit meus Redemptor, & Advocatus.

IV. Quare, Pater omnipotens, toto corde firmissimè spero, posse me à te, cum sis liberalissimus, consequi & obtinere omnia, mihi necessaria ad salutem consequendam.

Ac primò quidem Veniam omni-

omnium meorum peccatorum, quantumvis multorum, & enormium: tum etiam vires ad superandas omnes difficultates, in hac vita occurrentes. Ac tandem gratiam perveniendi, ad fruendum perpetuò feliciſſimo tuo adſpectu. Et quanquam cœlum, terra, & omnes creaturæ contra me conjurarent; & ipſe jam in portis inferorum conſiſterem: nihilominus, benevolentiſſime Pater, ſemper in te ſperare vellem, & confidere, dicendo cum Propheta: *In te, Domine ſperavi; non confundar in æternum. In Domino ſperans non infirmabor. Amen.*

DELECTATIO DE DEO.

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Pſal. 36.

I.

SI verum gaudium eſt delectatio, ex illis rebus profecta, quæ

quæ tuæ ſunt, Deus meus: quia vera materia omnis gaudii eſt in te, & in excellentia tua: maximas equidem, jucundiſſime Domine, cauſas habeo, jubilandi & exſultandi. Quandoquidem tu es Deus ille, qui eſt: nimirum infinitæ potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, pulcritudinis, miſericordiæ, juſtitiæ, fidelitatis, & innumerabilium aliorum attributorum, tanquam principium & finis omnis boni: cumque tantus ac talis eſſes, dignatus es eouſque extollere naturam humanam, illamque tibi unire, ut verè dicatur, Deum eſſe hominem, & hominem eſſe Deum; Deum quidem naturâ, hominem verò dignatione & gratiâ. Quin imò, præterea promiſiſti mihi etiam æternam felicitatem, & Beatitudinem: idque innumerabilibus teſtimoniis ac ſignis, tam in antiquo, quàm in novo teſta-

mento confirmasti. O dignatio! O Bonitas infinita Dei, ac Domini nostri! Itaque avidè, Domine mi, desidero, & volo in posterum, adjuvante gratia tua, omnem animi mei delectationem, esse in te, ac de te solo, deque rebus, quæ tuæ sunt, meque ad te pelliciunt: sicut de te benè dixit, qui dixit: *Deus meus, & omnia.* Tu solus est bonitas, Thesaurus, Paradisus creaturæ rationalis, in hoc, & in altero Mundo.

II. Contra verò fastidio, prorsusque aversor hunc Mundum, & omnia, quæ illius sint. Neque minus mihi molestū est ea videre, audire & cogitare, quàm sordidissimam cloacam, cadaver putrescens, ac stercora. Omnia enim, præ te, Domine, arbitror, ut pañum menstruatæ, ac stercora.

III. Et cupio tuæ solius dulcedinis gustum habere, tantumque tuis è rebus gaudiū capere; nau-
feam

ſeam autem, & horrorem ab omnibus rebus mundanis,&quæcumque me à te avertunt. Ad hoc præſtandum adjuva me,Domine, tua pietate, ut ſerviendo tibi,cum gaudio, & perfectione, in hac vitâ, poſſim te cum Beatis videre,& frui æternùm in altera. Amen.

ZELUS HONORIS DEI, ET SALUTIS ANIMARUM.

Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me. Pſal. 68.

I.

ZEloſiſſime Deus meus, qui gloriam tuam alteri non das, & omnes animas ſolus creaſti; ideoque inter alia tua nomina, etiam Dominus Zelotes, & Deus æmulator vocari voluiſti; doleo,& ſummè crucior nomine om-

omnium illorum hominũ, qui in ſuis operationibus, relinquentes verum & rectum finem, qui ſolus es tu, ſummum & unicum bonũ, magis res temporales, & caducas, hujus Mundi, quærunt, & amant, quàm te: & continuò peccantes, tradunt ſe in poteſtatem Diaboli, crudelis ipſorum inimici: id quod ſine magno mœrore, & pœna, cogitare, & loqui nõ poſſum.

II. Quare, Deus meus, ego viliſſimus peccator, nullius præmii apud te, offero pro gloria Nominis tui, ac pro ſalute totius mundi, merita omniũ electorum, qui fuerunt, ſunt & futuri ſunt, uſq; ad finẽ Mundi. Et ſi ego ſolus, ob amorẽ & hònorem tuum, ſuſtinere poſsẽ omnes pœnas, omnia tormenta, quæ oẽs ſervi tui paſſi ſunt, modò per ejuſmodi perpeſſionem efficere poſſem, ut nullus unquã te ampliùs offenderet, toto corde rogarem, ac ſupplicarem tibi

tibi pro hac gratia. Quin potius, amore tui integrè (si ita tibi placet) abdico me omnibus, si quæ fortè exstant apud te, meritis meis & bonis operibus: (si tamen unquam aliqua tibi verè grata præstiti) & offero illa tibi æterno Patri, unita cum meritis Filii tui, pro conversione totius Mundi; ut sic ab omnibus honoreris in terra, sicut in cœlo. Et si possent omnia flagella, quæ aliis debentur, propter sua peccata, meo tergo imponi, ut ipsis parceretur, & meritum hujus mei supplicii, in bonum ipsorum cederet, etiam hæc te rogarē; & si ita expedit, jam humiliter te rogo: ut pro hoc, qualicunque meo obsequio, des omnibus gratiam perfectissimè tibi serviendi; itaq; te amandi, ut nullus ampliùs te offendat: sed perpetuò omnes te laudēt, ac benedicant nō minùs, quàm faciunt tui Angeli, & Sancti in cœlo.

III. Præterea tanti facio honorem, & gloriam tuam, ut eligam potiùs manere æternùm in inferno, & pati omnia tormenta, quàm ut tu, vel unico momento, priveris tuo honore: cùm tibi omnes honores debeantur, mihi autem omnes pœnæ, anxietates, & dedecora: & ne defrauderis tuo debito honore: veniant obſecro, ſuper me omnia opprobria, anxietates, & miſeriæ. Et ſi hoc non ſufficiat ad te honorandum, veniant ſuper me omnia mala animæ & corporis, abſque peccato: eaq; talia & tanta, qualia & quanta tu ſcis poſſe inveniri, ſive in inferno, ſive in terreno hoc mundo, ſive in purgatorio: &, ſi qua fieri poſsũt, iis adhuc majora, graviora que. Sed tu interim, ô Amor meus, ne oblivíſcaris mei, ſed des mihi gratiam, & fortitudinem ad ſuſtinẽdum illa, ſicuti ego libenter, pro amore, & honore tuo, paratus ſum illa acceptare. AC-

ACTUS TIMORIS DEI.

Beati omnes, qui timent Dominum. Psalm. 127.

I.

SUmmè timende & tremende Domine, si justus timor est anxietas quædam cordis, quæ retrahit hominem ab illicito usu membrorum, & sensuũ exteriorum, internorumque affectuum: ne anima, vel omnino, vel ex parte à te, Deo meo, separetur, aut quærat delectationem in aliqua creatura, atque ita refrigescat ardor spiritus: ego nunc considerans infinitam Majestatẽ & magnitudinem tuam, in cujus conspectu tremunt omnes spiritus, cœlestes, terrestres & infernales, totus confusus ob meã monstrosam indignitatem, descendo in abyssum nihili mei; magnopere

timens, ne te offendam, & ſeparer à Divina tua gratia: ſicuti aliis multis evenit, eo quod in conſpectu tuo rectè non ambularent.

II. Itaque dum cogito ſolùm, quòd poſſim te offendere peccatis venialibus, ac mortalibus, horreo, & totis artubus meis contremiſco; maximè quòd agnoſcam me omnino debilem & imbecillem, & nihil poſſe, ſine gratia tua ſingulari.

III. Agnoſco tamen etiam, Domine, hunc timorem eſſe mihi valde neceſſarium, & utilem; & ideo inſtanter illum à te peto; ipſumque ut in me augere, & animæ meæ imprimere velis, rogo, dicendo cum Pſalmiſta:

Confige timore tuo carnes meas; à judiciis enim tuis timui.

ACTUS HUMILITATIS, ET COGNITIONIS SUI.

Qui se humiliat, exaltabitur. Lucæ 14. 18.

I.

SI humilitas eſt Virtus, quæ reprimit appetitum, ne ſe immoderatè in altũ extollat; quomodo ego, viliſſimus vermiculus terræ, cùm video te, Deus meus, amore mei humiliatum ad patiendã ignominioſiſſimam mortem, quomodo, inquam, ego me audebo extollere, & non potiùs infra terram abſcondam! cùm & me agnoſcam tam ſuperbum, & ingratum, ut nõ credam inveniri aliquam creaturã, quæ ſi à te habuiſſet tantã gratiam & tot beneficia, quot ego, nõ multo majore fervore tibi & ſpiritu ſerviiſſet, quã ego. Imò quia hanc veritatẽ

ex corde, & ſicuti eſt in reipſa, non agnoſco, reputo me ſuperbiſſimum, & in veritate aliis omnibus viliorem, propter meam hypocriſin & ſtultam ſuperbiam; tibi, Deo meo, tam odioſam & exſecrabilem.

II. Ac tantopere excæcavit me iſta mea ſuperbia, ut meipſam nō agnoſcam, & non videam, Domine, quòd quanto plura dona à te accipio, tanto majora ſint mea peccata & ingratitudo; tantoque ſtrictior à me tibi reddenda ſit ratio. Ideo profectò ego ſum vilior peccator, omnibus aliis; & credo, neminem tam longè unquam à te receſſiſſe, quàm ego receſſi per mea flagitia; imò credo, ſi maximi quiq; peccatores mundi habuiſſent talia auxilia, qualia ego à te accepi, majore feſtinatione ad te redituros, ac fortè ſemper, & majore ſinceritate cordis, & affectu, te amaturos, & honoratu-

raturos fuisse: sanè magis dolerent de suis peccatis, ac fideliùs tibi servire inciperent, quàm ego.

III. Obstupesco, Domine, quomodo sustineas conspectum meum, cùm sim creatura tibi tā ingrata. Et ideò prorsus indignum me reputo, ut tibi serviā, tuq; exaudias orationes meas, indignum omni gratiâ, & cœlestibus inspirationibus; imò indignissimum, quia tam parùm ad lucem tuam respicio: ideoque pridem fui promeritus, ut à te projiciar, & relinquar in tenebris & erroribus: indignus etiam, cùm sim tibi tā inobediens & refractarius, qui habitem inter tuos fideles, & in domo servorum tuorum: à quibus, si pro meritis me tractare vellét, nihil aliud audire me oporteret, quàm contumelias & convitia. Quin etiam procul amandari me conveniret à consortio omnium hominū, ne fortè putredo meorū

abominabilium ulcerũ, & vitiorum, quenquam illorum inficiat.

IV. Vellem etiam omnibus notam esse meam extremam vilitatem & miseriam, ut omnes justa me abominatione detestarentur, ac zelo gloriæ tuæ pro meritis exciperent.

V. Admiror, Domine, tuã erga me pietatem inæstimabilem, qua me tolerasti hucusque, neque, ut summa erga te ingratitudine promerebar, in profundissimos flammarum puteos deturbasti. Imò agnosco me solũ propter meã ingratitudinem, inter omnes alias creaturas indignũ divina tua cura, providentia, & amore, quibus omnes alias creaturas prosequeris: & horresco intuens me ipsum, tanquam rem ultra, quàm dici potest sordidam, odiosam, & abominabilem: petoq; à te, ô lux æterna, ut semper magis me ipsũ agnoscam, ne unq̃ super alios amplius perversè me extollam. Ah

Ah Domine, ex infima abyſſo miſeriæ meæ clamo, & invoco abyſſum Miſericordiæ,& pietatis tuæ; dona mihi hanc gratiam. Amen.

ACTUS COMPUNCTIONIS, ET ODII CONTRA PECCATA.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Pſalm. 93.

I.

CONtritio eſt, qua quis ex animo ſuper omnia deteſtatur commiſſa peccata, velut offenſam Dei; cum firmo propoſito confitendi,& nõ ampliùs peccandi; adjuncta ſpe veniæ. Quare,ô Deus meus,& Miſericordia mea, ego verè contritus, flecto genua

cordis mei, summoque cum dolore animi humiliter me accuso, & coram divina Majestate tua meam culpam agnosco, confitendo omnia peccata mea, & omnes abominationes, commissas toto tempore vitæ meæ; in superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia, & in vitiis omnibus, quæ ab istis promanant: quia, proh dolor! nimis inclinatus, & effusus fui in omnia. Cujus me summopere pœnitet, ac doleo peccasse, non amore præmii justis promissi, quo dignus non sum, neque timore suppliciorum peccatoribus infligendorum, quibus undequaque sum dignissimus: sed ideò tantùm, quia offendi te, Deus meus, qui ex te ipso summè es bonus, & adorãdus; imò ipsa charitas, ipsa Bonitas, ipsa Majestas.

II. Et propter magnum amorem, quem tibi debeo, quemque erga te gero, Domine, odi, dete-

stor

ſtor, abominor peccatum, amorem proprium, inordinatum amorem creaturarum, & omne illud, quod me poteſt impedire, quo minus tibi appropinquem, & ſancto tuo amori.

Quidquid peccavi corpore, anima, cogitatione, verbo & opere, ſive ex fragilitate, ſive ex ignorantia, ſive ex malitia, contra te, Deus meus, contra proximum, & me ipſum, quocumque modo: toto corde, toto affectu, quo poſſum, dico meam culpam, meam maximam culpam: pœnitet me peccaſſe; ac doleo, quod hac hora non ſentiam tantum odium peccati, neque habeam tantum dolorem, & tantam deteſtationem præteritorum, neque tam firmum propoſitum cavendi futura peccata, quantum vellem & deberem habere, ut reſpondeat meis tantis abominationibus.

III. Ideò te precor, Deus meus, accepta illud odium infinitum, quo tu peccatum deteſtaris, in ſupplementum ejus, quod ego habere deberem: & in vicem doloris, quo careo, offero tibi, miſericordiſſime æterne Pater, dolores Ieſu Chriſti, Filii tui, & Redemtoris mei, ſimul & ſacrificium immaculatæ vitæ ejus: & ſanctum fervorem ac zelum, qui illum adduxit ad ignominioſiſſimam, & acerbiſſimam Mortem, ut peccatum deſtrueret.

IV. Ah Iesu, mi clementiſſime, abyſſus miſerationum! ad pedes miſericordiarum tuarum me proſterno, obſecrans te per charitatem illam, quæ de cœlo te traxit in uterum Virginis, velis mihi applicare merita amariſſimæ tuæ paſſionis, & precioſiſſimi ſanguinis, quem pro peccatoribus, quorum ego maximus ſum, effudiſti: & ita ſupplere

omnes meos defectus, & ignoscere mihi omnia vitia, peccata, negligentias, ingratitudines. Largire, quæso, ut omnia ista in posterũ longè à me fiant: & quamvis ego naturâ non possim esse impeccabilis, saltem, ô Bonitas infinita, fac mihi hanc gratiam, ne unquam mortaliter peccem. Sanè hoc est, quod etiam tu ipse vis, desideras, petis, & mandas: da quod jubes, & jube, quod vis. Deinde fac, Domine, ut loco supra dictorum vitiorum, in me imprimantur omnis generis sanctæ virtutes; quod totum cedat tibi in gloriam, gratiarum actionem, nunc & semper, & in secula seculorum.

Amen.

ACTUS

ACTUS BONI PROPOSITI.

Iuravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ. Psalm. 118.

I.

Mirabilissime, potentissime Deus, quia illuminante gratia tua cognosco, quantopere sim obligatus ad bene operandum, & prosequendam virtutem; ad declinandum à malo, & fugiendum peccatum: ideo nunc omnino mihi diffisus, totusq; confisus & innixus sanctæ tuæ gratiæ, propono, & tota virtute liberi mei arbitrii, plenissimo, deliberatissimoque consensu, statuo nũquam ampliùs peccare: & potiùs millies singulis horis profundere vitam, quàm unquam graviter te, Deus meus, offendere; aut tentare quidquam, facere, dice-

dicere,aut cogitare,quod ſit contra tuum beneplacitum: ſed ut baſiliſcum fugere omnem occaſionem peccandi,& quidquid tibi diſplicet: quandoquidem ego volo,quęcunq; tu vis;ac deteſtor, quæcunq; tu deteſtaris. Et ſi fortè,quod abſit,cõtinget, me committere, vel omittere quidpiam, contra tuum beneplacitum;id omne jam nunc proteſtor,non fore meæ voluntatis & mentis, ſed malignæ ſuggeſtionis, & ſubiti motus, huic meo decreto contrarii: tu, Domine, fac,ut in eodem firmus perſiſtam, & ut nullas tales obreptiones admittens,omnium deſideriorum & motuum meorum,gratia tua juvante, plenus ſim dominus. Quapropter liberè nunc renuncio omni conſenſui tuæ voluntati contrario,& abſolutè me abdico libertate arbitrii, quoties ad malũ alliciar, & in periculo verſabor te offẽdẽdi,
& in

& in omni eo, quod tendit ad malum.

II. Præterea propono etiam in posterum observare perfectissimè omnia tua divina præcepta, & quæ tibi promisi in sancto Baptismo, aut aliis votis: & conabor, quantum per gratiam tuam potero, imitari sanctissimam tuam vitam, & procurare habitum omnium earum virtutum, quæ tibi magis placent: & facere per omnia tuam rectissimam voluntatem, & per omnia, pro viribus, opprimere meam, in mala propensam; subjiciendo illam tui amore omnibus meis superioribus, æqualibus, & inferioribus, tandemque ingredi viam perfectionis, per illa media, quæ tu Magister meus, in sancto Euangelio tuo, verbis, & exemplis monstrasti.

III. Adjuva me igitur, Domine: quia sine tuo auxilio singu-

lari non valeo exſequi, & implere bona iſta mea propoſita: da mihi vivam fidem, fortem & conſtantem animum; ut ſicut tu peccare non potes per naturam, ita ego non poſſim per gratiam tuam.

IV. Denique rogo te, ut declarationem hanc meæ voluntatis, acceptare, & approbare digneris tuo judicio; ut omnia ſint, & fiant ad gloriam & honorem tuum, ſalutem animæ meæ, & proximi mei, & ſecundùm ſanctiſſimam tuam voluntatem: cui, cum toto meo eſſe, quod mihi largitus es, me dedo, & conſecro.
Amen.

ACTUS PETITIONIS AD DEUM.

Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Iohann. 15.

I.

BEnevolentiſſime Deus, & Domine mi, quamvis ego ſim tuus creatione, conſervatione, Redemtione, Iuſtificatione, ſpeciali vocatione, & naturali cōditione: magis tamen peculiariſſima electione liberi mei arbitrii cupio eſſe, & ſum tuus: ideo nullius alterius januam, pro gratia aliqua, præter tuam, qui es fons & origo omnis boni, mihi licet pulſare.

II. Neque aliud deſiderare, petere, aut velle à te debeo, niſi illud unum, quod tibi magis arridet, & majorem tuam gloriam concernit: etſi quando meam volun-

voluntatem alterius cujusquam rei desiderio moveri continget, illud jamnunc abominor, detestor, & fieri nolo: precorque divinam Majestatem tuam, ne unquam in similibus me exaudias. Imo propterea primò & principaliter peto, & summa, qua possum, contentione te rogo, ut perfectissima tua voluntas in me semper fiat: mea verò nullius sit efficaciæ: ut adeò nihil prorsus in me inveniatur, quod non sit tuum. Quia tamen voluntas mea prorsus otiari non potest, opto, ut quocumque feratur, non sola feratur, Domine, sed semper conjuncta cum tua, quæ sola est sancta & recta. Ita cum gratia tua desidero, ita apud me statuo, ita coram curia tua cœlesti protestor.

III. Quare, ô Domine, quotiescunq; à te aliquid peto, nihil

intendo petere, nisi per Iesum Christum, filium tuum; associatis pariter sanctissimis ipsius, & meis qualibuscunque desideriis. Itaque, benigne Pater, si non mea, saltem gratiosa desideria Filii tui merentur admitti. Sic exhibes Iustitiam ipsi, mihi misericordiam; tibi verò ipsi concilias honorem & gloriam. Voluntas dulcissimi Filii tui, Deus meus, vult, desiderat, mandat, ut ego sim humilis, patiens, benignus, charitate repletus; cupit ut vivam tibi, mihi moriar. Da, Benevole Pater, Filio tuo, ut impleatur hoc desiderium ejus, tam pium sanctumque: sic enim satisfiet etiam tuo: & ipsi honor accedet, Spiritui sancto amor, & veneratio.

IV. Domine, quia ego nihil boni possum præstare, concede mihi hanc gratiam, ut ego te sinam facere, quæcunque volueris

& ut meum facere, sit permittere tibi, ut agas in me id unum, quod maximè tibi placuerit.

Et ut in me nihil sit, quod tibi displiceat, exorna me sanctis virtutibus, dando mihi augmentum Fidei, Spei, & Charitatis: humilitatem spiritus, puritatem cordis, & omnes illas Virtutes, dona, gratias, quas scis mihi esse necessarias; & quidquid de gratia tua in mea sive anima, sive corpore desideras inveniri: quò meliùs tibi possim placere, digniùs & fideliùs deservire, & perfectiùs te adamare: assimilatus tibi ut homini, conjunctus ut Deo. Rogo insuper, ut mihi des gratiam perveniendi ad eum gradum perfectionis, quem ab æterno desideras me consequi: des etiam auxilia, media ac dispositiones necessarias ad obtinendum eundem.

V. Præterea, tota contentione pectoris mei, peto à te, veram contritionem meorum peccatorum, & remissionem illorum: & ut in posterum permittas, me millies potiùs corporaliter mori, quàm ut vel semel moriar animâ.

Peto item, Deus meus, totis viribus, & affectibus animi mei, quos mihi per desideria & merita Iesu Christi, Filii tui, largiri dignaris gratiam efficacem: & si fortè nimis importunus videor in petendo, ecce Domine, contentus ero unicâ solâ gratiâ: nimirum ea, qua respondeam semper gratiis tuis, & sim talis, qualem esse me desideras.

VI. Ita pius es, dulcissime Domine: ita ad rogàndum ipse me excitas Misericordiâ tuâ, ut ego terra & cinis petere audeam, non solùm id quod habes, sed illud etiam, quod es ipsemet: peto,

to, inquam infimus tuus cliens, ea qua poſſum demiſſione animi, te ſolo, uno & unico perfrui; in te ſolo reſpirare, & quieſcere, & non in aliquo tuo dono, quantumvis excellente, nobili, virtuoſo, divino.

VII. Peto puriſſimam illuminationem intellectûs, ad tria prȩcipuè cognoſcenda. Primùm ad cognoſcendum perfectiſſimè beneplacitum tuum, & faciendam integrè ſanctiſſimam voluntatem tuam. Deinde ad cognoſcendam propriam meam vilitatem, ingratitudinem, & ad omne bonum indignitatem. Denique ad habendam perfectam notitiam omnium virtutum moralium, illaſque conſequendas, quo in me, Deus meus, amor tuus nudus, purus, ac ſincerus excreſcat.

VIII. Tandem rogo te, placeat tibi acceptare meas preces, non ut à me procedentes, ſed

velut à te inſpiratas: & illas con-
jungere cum precibus Filii tui, IESU CHRISTI, ſanctiſſimæ Matris ſuæ, S.S. Angelorum, Apoſtolorum, Martyrum, Doctorum, Virginum, Confeſſorum, & utriusque Eccleſiæ, triumphantis ac militantis: ad obtinendas ſupradictas gratias & ſanctitates ſpirituales, & corporales: tam meas, quam proximi: neque attendas, Domine, perſonam meam, ſed illorum, quorum offero tibi merita, preceſque, per IESUM CHRISTUM, Filium tuum: à quo derivatur, & provenit omne opus meritorium, & omnis bona voluntas. Quod totum cedat ad ſempiternam gloriam, & honorem amabiliſſimæ, adorandæ, glorioſiſſimæque Trinitatis. Amen.

ACTUS RENUNCIANDI VOLUPTATIBUS, pro conservanda Castitate.

Erunt sicut Angeli in cœlo, qui neque nubent, neque nubentur. Matth. 22.

I.

PUrissime Domine, & legitime possessor cordium humanorum, tibi libentissimè do omnimodam possessionem, & directum dominium meorum omnium; renunciando omni affectui terreno, & sensuali delectationi: ita ut si ego possem frui omnibus voluptatibus, & deliciis sensus & carnis, quæ ab omnibus hominibus delibari ac percipi solent, quæque desiderantur, sique possem illis etiam sine peccato perfrui, nihilominus tamen liberalissima mente illis renunciarem, & resolutissimè illas refugerem; sicuti nunc renuncio & refu-

gio, quò tibi magis placeam, tibi puriùs vivam, meque tibi conformem.

II. Præterea non solum repudio quascunque delectationes carnis, sed etiam sensualitatis: ut sunt oculorum, ne aspiciant illa objecta, quæ oculis hominum videntur pulchra, delectabilia, & curiosa, aut etiam quamcumque rem creatam, quæ ipsos afficiat.

Sic etiam omnes alios meos sensus privo omni gustu, & delectatione, quam à quacumque re creata possunt accipere: id quod toto corde desidero in me impleri, tantùm ut tu magis oblecteris, tibique gratior fiam. Quia cum laqueos omnium illecebrarum abrupero, & meum cor ab omni gustu, & oblectatione humana purgavero; faciliùs illud se tibi conformabit, & uniet cum tuo, mi dulcissime Iesu.

ſu. Et ſic potero felici tui conſpectu potiri, quemadmodum dixiſti: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Exſtingue igitur in me, Domine, & exſtirpa radicitus, funditusque omnem cupid nem carnis, & ſenſuum.

III. Imò ut magis tibi placeam, ſerviam, & te puriùs amem, non ſolùm repudio omnes ſupradictos guſtus, voluptates & delicias: ſed etiam ſtatuo ne illis quidem inhiare, quæ ſunt ſpiritus, niſi quà proſunt ad excitandum in me faſtidium ſenſualium, eoque perducunt, ut mea tota oblectatio, guſtus, & conſolatio in te ſolo ſit; & in beneplacito ſanctiſſimæ tuæ voluntatis. Amen.

ACTUS RENUNCIANDI BONIS TEMPORALIBUS, amore paupertatis.

Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Luc.14.

I.

REx Regum, & Dominus dominantium, Deus meus, superabundo consolatione, & cor meum exsultat gaudio, quando cogito, te absolutum Dominum esse universorum, & inter universa mei quoque postremi & minimi: ab alio, quàm à te, possideri nolo; nec aliud ego possidere aut habere volo pro meo bono, & thesauro, quàm te: ita ut si mihi offerretur possessio, & dominium totius mundi, cum omni sua opulentia, splendore, potentia, ego promtissimè ipsi renunciarem,

rem, ſicut in præſens illi ſponte, liberéque renuncio: neque illi ſolum, ſed etiam omnibus aliis rebus, quæ ab humano corde in hac vita deſiderari poſſunt: atque hoc tui ſolius amore.

II. Et ne, cùm omnibus renunciaro, meum animum detineāt aliqua de ſingulis, profiteor Domine, quòd ſi me nunc exui velis amictu, quo tegor, æquo id animo ferrem; ut magis me tibi, qui nudus pro me in Cruce pependiſti, conformem, & magis in meâ nuditate tibi placeam, Domine Ieſu.

Si exturbarer & excluderer domo, quam inhabito, tibique Domine magis placeret me habitare cum feris in ſilvis, aut in quocunque alio loco vili morari, forem contentus.

III. Si quando privabor melioribus cibis & fructibus terræ, & ad ſuſtentationem vitæ ſolum panem

nem durum,ac nigrum cum aqua habuero, contentus ero, & pro eo gratias agam: quandoquidem & illo sum indignus, propter multiplicia mea peccata. Ah Domine, imprime cordi meo hanc veritatem: adjuva, & ne permittas me istis vanis bonis mundi,aut quacumque re creata, exquisita,preciosa,vel tenuissimè affici: sed totum meum bonùm, thesaurus, & divitiæ meæ in te sint, & cor meum in te solo acquiescat. Amen.

ACTUS RENUNCIANDI PROPRIÆ voluntati,ex virtute obedientiæ.

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Lucæ 9.

I. Re-

I.

RECtor & primus motor universi, cui omnia obediunt, Deus infinitæ Majestatis, desiderio conflagro, quoties mecum ipse cogito (cogito autem sæpissime) quomodo possim tibi placere, & me per omnia beneplacito tuo conformare. Et propterea nunc ultro, & liberè, me totum tibi offero, & mancipo: peculiariter autem propriam meam voluntatem, cujus liberam possessionem tibi trado, & resigno: quandoquidem aliud, præter hanc, in mea potestate non habeo. Hanc ergo per omnia, & in omnibus, cum plenissimo usu & exercitio sanctæ obedientiæ, sanctissimæ tuæ voluntati subjicio: renunciando planè firmâ resolutione, quantum possum, voluntati & libero meo arbitrio.

II. Tuaque gratia fretus, propo-

pono, ſemper tibi obedire, in omni re, non facili magis, quàm difficili; amplectendo de novo, & acceptando libentiſſimè omnia ſancta tua præcepta, & quãtum ratio vocationis & officii mei patitur, etiam conſilia: deſiderans, ut illa ſint perpetua regula, ac lucerna pedibus meis, & lumen ſemitis meis: dulcia ſint faucibus meis eloquia tua; adimpletio eorum ſuper mel & favum. Voluntas tua ſit corona capitis mei: & tanquam torques in collo meo, facere quæ tu, Deus meus, mandare nobis, & ſuadere dignaris. Nolo proinde meam voluntatem, vel in minimo unquã tibi eſſe rebellem, ſed ſemper ad unguem tuæ conformem: ita ut ſola contraria cogitatio, & motio, ſit mihi dolori ac tormento.

III. Subjicio etiam hanc meam voluntatem, tui amore, omnibus meis ſuperioribus, in omnibus illis

illis rebus, quæ ſunt conſentaneæ divinæ tuæ legi, aut ei non expreſsè contrariæ. Quantumvis autem ardua, moleſtaque mandaverint, nihilominus propono, cum tuo auxilio, promtè illa exſequi.

IV. Ah Domine, tolle, tolle tandem penitus à me propriam meam voluntatem; nec ſit amplius initium, neque veſtigium meæ voluntatis in me: ſed omnia mea tua ſint: exure, & redige illam, ardente, & ignito tuo amore, in favillam; ut ablato & conſumto malo, totus ego tandem bonus & gratus ſim tibi. Amen.

ASPIRATIO MENTIS IN DEUM.

Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. Pſalm. 118.

I.

DEus meus, propter immensum illum amorem, quo me prosequeris, fac, obsecro, ut ego hîc in terra tantum te amem, quantum debes amari.

II. Domine mi, Deus amoris, Bonitas infinita, fac obsecro propter tuum ipsius amorem, ut sicut ego in te, & per te solum vivo; ita etiam meum vivere totum cedat in honorem, & gloriam tuam.

III. Pater misericordiarum, talem me fac, qualem Filius tuus meretur, & Spiritus sanctus me esse desiderat.

IV. Amare te volo, Domine; quia tuus sum: mei verò ipsius curam habere non alia de causa quàm quia tu id petis, & mandas. Et ideo protestor, totam curam, quàm habiturus sum de me non futuram quasi de mea re quapiam, sed quasi de tua.

V. Gra

V. Gratum hoc tibi sit, Deus meus: admitte, Pater mi, acceptum habe, Domine, ob merita sanctissimi Filii tui, & Redemtoris mei Iesu.

ACTUS ELICIENDI, CUM AUDIMUS, vel videmus aliquod bonum proximi.

Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Psalm. 118.

I.

DOmine Deus meus, cùm audio, & video proximum meum, & particulariter N. tibi servire, & boni aliquid facere moliri, gaudeo, & multum in hoc mihi complaceo. Et bonum ipsius, reputo quasi proprium meum bonum: & tanquam meum illud tibi offero, dedico, cum omni illo bono, quod omnes san-

cti peregerunt olim, & peragunt adhuc in univerſo mundo, ad æternam gloriam tuam, perinde ac ſi ipſemet ea feciſſem, & facerem.

II. Ago tibi gratias, Domine, pro bonis inſpirationibus & auxiliis, quæ tam huic perſonæ, quàm omnibus aliis meis proximis tribuiſti, & tribuis ad bene operandum, loquendum, & cogitandum: neque aliter de hoc tibi gratias ago, quàm ſi tale beneficium propriè fuiſſet exhibitum animæ meæ.

III. Quin etiam inſinuo, & immitto me in proprium cor ipſius, & omnium famulorum, & famularum tuarum, ut ſimul cum eis ex corde perficiam omne illud, quod ipſi faciunt, & deſiderant facere in ſancto tuo ſervitio. Tu enim ſcis, Domine, quòd ego idem omnino vellem præſtare, ſi tu à me idem peteres;

ac donares idem agendi gratiam, vires, occaſionem, facultatem aut mandatum. Nullâ profectò me difficultate, vanoque timore ab illo præſtando ſinerem abſterreri.

IV. Adauge verò, Domine, enixè rogo, in illo, bonum, gratiam, & merita, cum omni virtute, quantum ipſe, te inſpirante, deſiderat, aut te ſciente, indiget: ut à quo tibi grata fiunt obſequia, exhibeantur multo etiam gratiora, majorem in modum.

V. Denique largire, quæſo, Domine mi, ut quiſquis viderit tale bonum, pulchro exemplo inflammatus, paria meditetur, & incipiat agere ſecundùm diſpoſitionem tuæ voluntatis; ad majus tuum obſequium, & gloriam. Amen.

ACTUS ELICIENDI, CUM AUDIMUS & videmus aliquod malum proximi.

In quo judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Matth. 7.

I.

Mi perfectissime Domine, cum audio, & video aliquod malum, maximè spirituale, mei proximi, summopere compatior humanæ fragilitati, quamvis omnibus communi: & præcipuè compatior defectui hujus N. Non credo tamen illud esse tantum malum, quantum mihi videtur, vel esse dicitur: imò fortè nihil est, neque tale videtur lucidissimo oculo tuo, quale nostro fallaci. Si tamen, Domine, scrutator cordium nostrorum, est culpa aliqua, magnopere doleo lapsu

pſu fratris mei: multo magis autem de tua offenſa.

II. Ego in vicem hujus defectus, & in compenſationem tuæ offenſæ, offero tibi precioſum ſanguinem IESU Chriſti, Filii tui, tantopere humiliati propter peccata noſtra: illius charitatem, manſuetudinem, ſilentium ac diſſimulationem inter continuos noſtros defectus.

III. Deinde ego idipſum perpetravi, vel in alio ſimili te non minùs offendi, proh dolor! & graviùs etiam te offenderem, niſi tua me gratia præſervaret. Unde etiam toto corde gratias tibi ago pro auxilio, ſine meis meritis mihi præſtito.

IV. Optimè ſcio, Domine, te poſſe ex malo elicere bonum: placetque tibi illud efficere: aliàs malum non permitteres. Cedat ergo ad maiorem tuam gloriam defectus iſte, ad majo-

rem verò humilitatem & cognitionem sui ipsius, qui peccavit.

V. Oro denique, occlude omnium oculos, ne inde sumant audaciam patrandi similia: liga linguas morsu conscientiæ, ne de re illa loquantur, neve ex minore delicto, quod per humanam infirmitatem admissum est, multa alia nascantur, per defectum charitatis, & improbitatem humanam.

ACTUS CHARITATIS, ELICIENDÆ EX quacunque re creata bona malaque.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Rom. 8.

I.

BEnignissime Dñe, magnam capio voluptatem, non solùm ex omni illo amore, quo te prosequuntur omnes sancti, & justi, qui

qui sunt in hac vita: sed multo magis illo, quo te longè sincerius complectuntur tum illi, qui corpore liberati adhuc in aditu Regni cœlestis commorantes, avidissimè faciem tuam exspectant: cùm illi, qui in penetralia felicitatis admissi, clarissimo tui conspectu fruuntur, homines & Angeli; ac præcipuè illorum omnium Regina Virgo, & SS. Humanitas Redemtoris.

II. O si ego possem te amare omnibus illis affectibus, quibus illi omnes te amant! quàm libenter & hilariter id præstarem? sed quia non possum, gaudeo saltem, ipsos, qui meliùs possunt, id facere: optoque ut semper magis, magisque id faciant, & in amore eodem perseverent in æternum, secundum beneplacitum tuum.

III. Ex altera parte, Domine, vehementer displicet, ac doleo, plurimos alios è servis tuis ne-

gligentiûs te amare : pleroſque etiam, pro amore, tibi referre injurias. Obſecro, Domine, pro infinita Bonitate tua, ignoſce illis, & largire gratiam tuam, qua ſe emendent, & te vel jam incipiant amare ſuper omnia, & in omnibus exſequi tuam ſanctam voluntatem.

IV. Sed quid dicam de illis, qui à te ad imaginem, & ſimilitudinem tuam formati, & innumerabilibus beneficiis donati, cum te, quem ſuper omnia amare deberent, ne agnoſcunt quidē, infideles & improbi? Quantum hoc, amabiliſſime Domine, dolorem debet mihi creare? quas lacrymas expellere? Utinam omnium illorum corda, & voluntatem in poteſtate mea haberem, ut poſſem illos tuo amore inflammare? Ecce, Domine, ſaltem cogitatione mea purgatos, ab omnibus peccatis, quales ego eſſe

esse desidero, & tu facere potes, omnes illos puros, & sanctos tibi offero, ad honorē & gloriā tuam.

Quanta mihi felicitas eveniret, si possem ego supplere defectum ipsorum, prosequendo te actibus illis amoris, quibus ipsi te prosequi deberent? & non solùm ipsorum defectum, sed etiam pravorum Angelorum, & hominum damnatorum, qui pro amore & laudibus, exsecrabili contra te odio irâque flagrant, longè pejùs, quàm flammis infernis. Sed quia ne pro mea quidem parte, amare, ac laudare te satis possum, omnem & meum, & aliorum defectum, desiderio saltem, quo possum, & quãtum possum, suppleo.

V. Interea pro magna felicitate reputabo, quòd sciam tuam divinam Majestatem, infinitâ sua voluntate, satisfacere pro omnibus, & omnes amandi partes explere: cum infinito amore

reamas te ipsum. Quare summopere gaudeo, & hunc amorem nunc tibi humiliter exhibeo, & pro me offero, in supplementum etiam omnium illorum, qui omittunt hoc facere. Deus, amor meus, totum, & unicum bonum meum!

ACTUS ET AFFECTUS VIRTUOSI,
Ex consideratione attributorum Dei.

PRAEFATIO.

LIcet omnes excellentiæ, & perfectiones divinæ absolutæ, prout in Deo sunt, neque inter sese, neque à divina essentia, sint realiter distinctæ; sed sint summum, absolutissimum, & simplicissimum esse: nihilominus quia noster intellectus est nimis hebes ad illas, ut in se sunt, intelligendas; ideo utitur variis, & diversis conceptibus, atque distinctio-

ctionibus, & conatur delibare aliquid illarum perfectionum: quas deinde ſolemus vocare Attributa divina, quæ nos tanquam excellentias diſtinctas (licet uninitiſſimas inter ſe) attribuimus Deo. Quarum cognitio, quamvis tam alta ſit ac ſublimis, ut major in mundo inveniri non poſſit: nihilominus tamen illis, qui practicè illam poſſident, erit excellentiſſima Regula ad acquirendas omnes Virtutes, & bona ſpiritualia: quia cognitio Dei, & imitatio virtutum ejus, eſt noſtra perfectio: ſicuti è contra ignoratio Dei, eſt fons omnis peccati & miſeriarum. *Noſſe enim te, conſummata juſtitia eſt: & ſcire juſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis* dicitur Sap. cap. 15. Quare ad ſimilitudinem aliorum actuum virtuoſorum, hoc libello contentorum, volui paucos quoſdam etiam ex Attributis divinis ex-

excerpere, ut devotus Christianus ex hac parva luce, quæ sibi datur, possit pervenire ad dictam notitiam & perfectionem vitæ; cum spe tandem consequendi completam, & consummatam justitiam, quæ est fruitio ipsius Dei in vita æterna.

ESSENTIA DEI.

Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum. Iohan. 17.

I.

DOmine mi, tu es simplicissima Essentia, & ideò in omni genere perfectionum absolutè infinitus, nec quidquam tibi potest addi, vel deesse. Incomprehensibilis es, respectu omnium locorum, omnium temporum, omnium voluntatum, & omnium intelligentiarum. Quia tu excedis omnia loca, compre-

hen-

hendis omnes differentias temporum, tranſcendis omnes mentes, abſorbes omnia corda hominum & Angelorum, & tu ſolus teipſum dignè potes comprehendere, metiri, intelligere, & amare.

II. Es immenſus, implendo, penetrando, eminendo ſuper omnes res creatas & creandas: immobilis, indeterminatus, incircumſcriptus: quia tua infinitate omnes terminos, & ſpatia imaginaria infinitè tranſcendis. Et ideò naturâ, operatione, cogitatione, affectibus es immutabilis: quia non cadit in te umbra viciſſitudinis, mutabilitatis; ſed in eodem eſſe, & velle, ſemper es firmiſſimus.

III. Es æternus abſque principio, & fine: amplecteris unico puncto, indiviſibilis æternitatis, omnem durationem & differentiam temporum; neque obis aliud

liud tempus, quàm perfectissimum. Nunc illud, quod tempori semper ex æquo respondet: tibi ipsi es adæquata & perfectissima mensura æternitatis.

IV. Quia igitur, ut firmiter credo, tam grandis est, Domine mi, tua excellentia: nunc toto meo corde, summa cum humilitate & reverentia, te adoro & veneror, & unà cum spiritibus beatis & justis, te confiteor esse, qui es: & coram te humi prostratus reverenter me inclino, & profundissima humilitate submitto: & quia dignus es omni amore, te in æternum amabo integro & sincero amore. Et præterea pro gloria tua desidero, ut omnes creaturæ in æternum te ament, agnoscant, revereantur, honorent & laudent: ideoque offero tibi meam vitam, vires, facultates, & quidquid habeo, vel possum habere.

V. Insuper gaudeo & exhilaror, quo-

quoties cogito, te esse tam magnum Dominum, infinitum, incōprehensibilē, immensum, immutabilem, ęternum: & in te inveniri omnes perfectiones prædictas.

VI. Congratulor tibi intimo affectu cordis tuam tantam Majestatem, gloriam & beatitudinem, quam possides, & æternùm possessurus es: ideò convoco omnes creaturas, ut mihi congratulentur, dicendo: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in secula, &c.*

VII. Duplici superabundo consolatione, & jubilo, cum spero & considero istud ipsum tuum bonum, futurum aliquando meum: quia illud mihi promisisti, promeruisti, præparasti, largitus es, per Christum, Filium tuum Unigenitum, & Redemtorem meum: quo itidem tecum in æternum fruar, modò fidelis in amore tuo permaneam. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.*

POTENTIA.

Apud Deum omnia poßibilia sunt. Matth. 19.

I.

O Deus meus omnipotens, tu es illa Potentia, quæ omnia, quæcunq; vult, potest: & quę nullam omnino infirmitatem admittit, neq; unquam fatigatur operando: omnia ex nihilo producit, eadem facilitate ad nihilum itidem omnia reductura, si velit: nec quidquã illi resistere potest, sed omnia ipsi obediunt. O adoranda, tremenda, & religioso silẽtio veneranda Omnipotentia! Tu Rex seculorum, per te ipsum omnia potes: à te instituta est, & dependet omnis potentia, omnis fortitudo, & energia omnium rerum. Tu, inquã, omnia ex nihilo creasti, & sustẽtaculo tui influxus eadem conservas, & manu tuæ Omnipotentiæ tenes illa, quasi suspensa, ne recidãt in nihilum suũ

Tu Domine, per te ipſum potes dare, & agere non ſolum omne illud, quod omnes homines, unà cū SS. Angelis animo concipere poſſunt; ſed etiam omne illud, quòd infinita tua ſapiētia cogitare poteſt: cùm omnipotentia tua ſit æqualis ſapientiæ tuę, & æqualiter ſe extendat, & diffundat: quia hęc ſola eſt regula, & menſura illius. Quam enim aliam habeat menſuram immenſa Potentia, niſi ipſam immenſitatem.

II. Complaceo mihi, & gaudeo, Domine, de tanta tua Majeſtate: in cujus conſideratione, rogo te, velis imprimere animæ meæ profundiſſimam reverentiam, & humilitatē erga divinam tuā Majeſtatem. Placet mihi etiā, quod diſponas, & ſtatuas de me, & omnibus creaturis, ſecūdùm tuum beneplacitum: quia nemo poteſt tibi dicere, *quare ſic facis?* omnia tua ſunt, & opera manuum tuarum.

III. Fac, Domine, ut cogitem

ſemper hāc veritatē: te mihi prę-
ſentem eſſe, & manu tuæ omni-
potentię mihi minitari fulmen ę-
ternæ damnationis,& ita te nun-
quam offendā. Da inſuper fiduci-
am, & ſecuritatē cordi meo erga
te, ne ullum præter te timeā, & ne
creatura ulla poſſit me ſeparare
ab amore tuo: nam quid ſunt oēs
aliæ creaturæ in cōſpectu tuo? vel
quid mihi mali, ſine tua permiſ-
ſione, poſſunt inferre? quòd ſi ta-
men ab aliqua permittas me affli-
gi, hoc ipſum, Domine mi, cedit
in meā ſalutem, & mihi coopera-
tur ad acquirēdam vitā æternam.
Et ideo omnē meam fiduciā po-
no, & repoſitam volo in te, potē-
tiſſime Deus ac Domine. Amen.

SAPIENTIA.

A Deo profecta eſt ſapientia. Eccleſ. 15. I.

O Sapientiſſime Deus, tu es illa
ſapientia, quæ comprehendit
omne, quod poteſt excogitari: i-
gnorantia in te nullum habet lo-
cum

cum: omnes res scis, nec potes errare: quia perfectissimè, & distinctissimè omnes res præsentes, præteritæ, futuræ, omnes possibiles, imaginabiles: omnia quæ sunt, & quæ non sunt, tibi, Deus meus, sunt præsentia, & in sancto tuo conspectu posita.

II. Tu es primarium signaculũ omnium rerum: tu omnia tua puritate, & subtilitate penetras, & omnia pariter intimè disponis in omnibus. Et licet attingas, & penetres à fine usque ad finem, & à summo usq; ad extremũ, nihilominus nulli rei te immisces; neque à lue quapiam coinquinaris, sed semper in tua pulchritudine, candore, & sinceritate permanes.

III. Tu es auctor, & artifex; tu exemplar, mensura, & finis omnium rerũ: neq; solùm architectus illarum, quæ sunt, & acceperunt suum esse, & speciem à te ipsis impressam, visibiles, invisibiles: sed etiam illarum, quæ non sunt,

& omnipotentia tua fieri possunt, utique in infinitum longè plures iis, quæ factæ sunt.

IV. O Sapientia admirabilis! hæc amplectitur totam simul æternitatem, & intra se totam Immensitatem capit, totam ad se trahit Infinitatem, omnia in ipsa habent æternum esse, & ęternam vitam: caret principio & fine, & per omnia est immutabilis.

V. Placet mihi Domine, gaudeo, & congratulor tibi istam tuam profundissimam sapientiam, qua scrutator es cordium. Si ego vel parum hanc tuam sapientiam imminuere, vel obscurare possem, ne agnosceret malitiam meam, & scelera mea, non facerem: imò potiùs vellem ipse destrui & annihilari, quàm ut vel unico puncto tua sapientia minueretur; per quam etiam humiliter peto illuminari intellectum meum, ut perfectè cognoscere possim pulchritudinem virtutis, & turpitudinem

dinem vitii: ut hoc fugiam, illam autem persequar; & magis magisque diligam id, quod ad gloriam, & honorem tuum cedat sempiternum. Amen.

BONITAS.

Bonus es tu, Deus, & in bonitate tua doce me justificationes tuas. Ps. 118.

I.

DOmine & Creator omnis boni, tu bonus es, non hoc vel illo modo, non in hoc vel illo genere bonitatis: sed absolutè, sine principio & fine: sine limitatione, sine modo, nisi eo quo sine mensura anticipas, & amplecteris omne bonum. Tu es ipsa plenitudo & universitas boni, cui omnes res, à suprema substantia creata, usq; ad materiam nudam ac primam, debent omne suum bonum acceptũ referre. Tu simplicissima essentia tua omnẽ excellentiam, omnẽ perfectionem, omnem beatitudinem, & omne

bonum possides:nec Bonitas tua, & perfectio ullum habet limitem aut terminum: quia est primaria, neque ab ullo dependet.

II. A te omnia dulcia trahunt suam dulcedinē; omnia pulchra, suam pulchritudinem: omnia lucida, suum splendorem: omnia, quæ vivunt, suam vitam: omnia, quæ sentiunt, suū sentire: omnia, quæ moventur, suum vigorem: omnis intelligentia, suam notitiā: omnia perfecta, suam perfectionem: omnia demum qualicunq; modo bona, suam bonitatem.

III. Tu magnus es sine quantitate, bonus sine qualitate, infinitus sine numero, formosus sine figura, æternus sine tempore, immensus sine loco, diffusus sine extensione, perfectus sine multiplicitate, altissimus sine situ.

IV. Tu centrū universi, ad quod naturali pondere oēs res tendūt: in quo omnia cōquiescunt: à quo omnia sustentātur: in te sunt ille-

ce-

cebræ omnis amoris, consumma-tio omnis desiderii, terminus omnis motionis, satietas omnis appetitûs.

Quanta est hæc vis tuæ summę Bonitatis, ad cujus parvi radii splendorem tanto impetu currit omnis creatura! dum unaquæq; illarum appetit particulare suum bonum, & ad illud totis viribus contendit: quod bonum nihil aliud est, quàm parvum signũ tuæ Bonitatis. Hoc omnẽ creaturam trahit: hoc in mundo tantum motum excitat: omne quod in unaquaq; creatura movetur, agitatur, operatur. Si lenis umbra boni tanto impetu trahit, quanto magis trahet ipsa veritas? illa, inquam, pulchritudo & bonitas infinita, clarè visa, quæ tu es, dulcissimum & summum bonum?

V. Trahe mentem meam ad te, ô immensa pulcritudo, adstringe eam ad te, super omnes res creatas, vinculo indissolubili, & liga-

mento æterni amoris. Quid quæram & desiderabo extra te, qui es plenitudo omnis boni, fons, finis, suavitas, vis & medulla omnis boni? Valeant ergo aliæ res omnes: te semper cogitem, amem: ad te contendam: in te detinear: te laudem, benedicam & omnes vires animæ meæ, & tota vita mea tibi serviant. Omnes res transitoriæ, propter te viles, charæq; sint: nulla alia ratione illas contemnam, vel æstimem. Perfice me, secundùm altissimum tuum beneplacitum, in cogitatione & amore tuo: commuta me totum in te ipsum, ut idem spiritus tecum fiam. Amen.

SANCTITAS.

Non est sanctus, ut est Dominus, 1. *Reg.* 2.

I.

DOmine, Deus meus, Tu diceris sanctus multis modis. 1. quia tua Essentia est prima radix, & origo omnis sanctitatis, & puritatis

ritatis. 2. quia est objectum, & mensura omnis sanctitatis: uno verbo, tu es principium efficiens, formale, exemplare, & finale omnis splendoris sanctitatis, qui in creaturis reperitur. Et per te ipsum sanctus es: per essentiam tuam: nimirum sanctitate fundamentali, objectiva & formali. Tam perfecta est sanctitas tua, ut nihil quidquam ei possit addi, vel demi: quia est sanctitas essentialis, & universalis.

11 Gaudeo, & complaceo mihi de ista tua sanctitate, fonte essentiali omnis pulchritudinis & puritatis: à qua omnes creaturæ intellectuales sanctificantur, & pulchritudinem suam accipiunt. Hanc sanctitatem proposuisti nobis imitandam: & non potestatem, non sapientiam, non altitudinem Majestatis tuæ, cùm dixisti: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Levitici cap.*11. Non postulas tamen à nobis tantam,

tam, quantam requirit eminentia ſanctitatis tuæ: quantam cum gratia tua capere poteſt infirmitas noſtræ naturæ.

III. Hanc tuam ſanctitatem,& puritatē veneror,honoro,amo,& admiror.Huic omnis reverentia, honor & amor debetur. Hæc præſentiâ ſuâ ſanctificavit, & ſanctificat totum mundum: unde quocumq; me verto, præſentem te conſpicio,& ubique exſiſtentem te veneror,laudo, honoro,& benedico: tanquam in ſacro templo gloriæ tuæ. Singulari tamen modo animam meam, quæ multo capacior eſt mundo corporeo,ad ſimilitudinem Templi, cultui tuo ſanctificaſti, pro tua habitatione: & ideò intra me, in intimis animæ meæ te habitantem aſpicere valeo: & in ſancto ſilentio tecum ipſo converſari poſſum: ibi te placare obſequiis: ibi te adorare: ibi à te iſtam ſanctitatem & puritatem pete-

petere: id quod jam, Domine mi, toto corde, & viribus animi mei cupio facere, & impetrare.

IV. Conabor etiam, Domine, & nunc propono, totis viribus fugere omnes impuros & inordinatos affectus, & omnes maculas animæ, quibus templum tuum violari, & profanari potest: quia, Domine, sine dubio, sicut necessariò magnoperè amas tuam sanctitatem; ita necessariò magnoperè odisti peccatum, & sordes.

V. Tandem tibi, tanquam auctori, fini, regulæ & exemplari omnis sanctitatis, à qua, ad quam, & secundùm quam sanctificantur omnes res in cœlo & in terra, sit gloria, benedictio, gratiarum actio, ab omnibus creaturis in cœlo & in terra. Amen.

BENIGNITAS.

Ipse Dominus benignus est. Lucæ 6.

I.

TU, mi Domine, Bonus diceris ratione perfectionis naturalis: ratione sanctitatis, & ratione beneficentiæ: quæ nominari potest benignitas: & hæc nihil aliud est, quàm quædam naturalis tua propensio, tua bona communicandi cum rebus inferioribus, & creatis, pro capacitate cujusque illarum. O quàm verè benignum te demonstras, Domine, quia cùm nullius indigeres, tibique ipsi sufficientissimus esses, nihilominus ex nihilo res omnes creasti, & ex suæ nullitatis abysso eduxisti, dando eis essentiam, formam, pulchritudinem, appetitum boni, fugam mali, vires, functiones, impetum, motum, situm, modum, perfectionem, & terminum: & cuique illarum, quod ipsi commodum est, & amabile: & hoc non ob tuam aliquam cõmoditatem, vel utilitatem: sed ut ipsis bene esset, & pro sua quæq;

capa-

capacitate participaret de tuis bonis,gustaretq;fructum tuę benignitatis. Et ideo omnes res te laudant, & tacitis vocibus celebrant tuam benignitatem: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciant firmamentum,&c. Psal.* 18.

11. Sed in genere nostro humano facilè omnium excellentissimè resplendet tua Benignitas. Tu ad imaginem, & similitudinem tuam nos creasti, & charactere vultus tui nos signasti: intellectum, memoriam, & voluntatem nobis dedisti, quibus participes efficimur divinæ gloriæ,& beatitudinis tuæ: divinisque auxiliis & ornamentis nos firmasti,ut mereremur,& consequeremur tam præstantia bona. Angelos etiam nobis custodes, & rectores assignasti: tandem totum mundum creasti, & plurimis bonis instructum pro habitatione & solatio nobis dona-

nasti. Quid majus his beneficiis? & quid mirabilius excogitari potest, hac tua benignitate? maximè cùm hæc omnia feceris, ut hac ratione nos perduceres ad sedes cœlestes, participesque nos faceres tuæ beatitudinis.

Ergo totis viribus, & tota mea essentia gratias tibi ago, & innumerabiles gratiarum actiones refero tibi, Domine, pro tam insigni benignitate, & omnes creaturas invito ad te laudandum, & benedicendum: *Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & superexaltate eum in secula, &c.*

III. Gaudeo, Domine, te tam benignum esse, & temet-ipsum dare, & descendere ad res infimas: curare infirmos, adducere abjectos, & exaltare humiles: & ubi major est paupertas, ibi te liberaliùs effundere tuas opes, & largiri auxilia: quod proprium est veræ Benignitatis. Doleo, & pœnitet me, non imitatum fuisse

istam

iſtam tuam Benignitatem: quia fui ſævus, atrox, impius erga proximum meum: nec uſus fui bonis fortunæ, & animi, in auxiliũ proximi: ſed multoties contrarium feci. Ideò nunc toto corde humillimè à te veniam peto, & propono, te adjuvante me emendare, & eſſe benignus, ſuavis, & amabilis erga omnes, ad imitationem divinæ tuæ majeſtatis.

Quia ab iſta tua benignitate proximè, & immediatè provenit amor tuus, & diffunditur in omnes creaturas, quo communicare vis cum illis bona tua. Quare obſecro, velis igne iſto accendere cor meum, ut fiam benignus, & charitate plenus. Amen.

PROVIDENTIA.

Ecce Domine, tu cognoviſti omnia noviſſima, & antiqua. Pſal. 138.

I.

PRovidentia tua, Domine, gubernat omnia, à ſummo cœlo

usq; ad infimas partes terræ: à supremo spiritu usque ad ultimum vermiculũ. Hæc ab ęterno omnes res cogitavit, concepit, distinxit, ordinavit: sine lege istius nihil omnino nascitur, nihil moritur, nihil operatur, movetur, quiescit. Hinc omnia, quæ carent ratione, tanta cum ratione operantur, & tam ordinatè tendunt ad suum finem: homine excepto, qui dotatus libero arbitrio, ipsomet abutens, longissimè sæpè recedit ab ordine divinæ, & particularis tuę Providentiæ, proponendo sibi alios fines, contrarios illis, quos illa ipsi constituit. Neq; ideo tamen ab universali tua Providentia se subducere potest: cùm incidat in justas pœnas, propositas peccato, & peccatoribus: quo fit, ut etiam in improbis elucescat operatio divinæ tuæ Providentiæ.

11. Væ mihi, qui toties quæsivi subducere me à paterna tua Providentia, & vivere volui secundùm

dùm imprudens meum judicium: & ideò dum volui me alienare à divina tua Providentia, quæ me ducebat ad vitam, incidi in millenos errores, & peccata: & incurri justissimas pœnas, decretas ab ordine Providentiæ tuę miseris peccatoribus, ad gloriam infinitæ tuæ Justitiæ: quam dum stolidè me proripiebam à Benignitate, & Misericordia tua, vel invitus incurrebam: &, ô me miserum! thesaurizabam mihi pœnas Justitiæ: & dum subtrahere me volebam suavi jugo divinorum tuorum præceptorum, submittebam me durissimæ servituti dæmoniorum: & dum spernebam æterna præmia, promerebar æterna supplicia.

O stultitia, sanguineis lacrymis deploranda! pœnitet: ah toto corde me pœnitet: humillimèque à te veniam peto.

III. Obsecro te, Domine, per omnia mirabilia dulcissimæ

Providentiæ tuæ, velis à me auferre hanc ſtultitiam,& dare gratiam,quâ ſemper ante oculos habeam hanc tuam Providentiam: ut quidquid proſperè vel adverſum acciderit mihi, ab ipſa mihi provenire intelligam, ac de manu tua pro magno beneficio accipiam. Hæc mea ſit in adverſis prima conſolatio. Hæc in terroribus ingeneret mihi fiduciam, in periculis ſecuritatem, in adverſis tolerantiam, animi quietem in exſpectatione futurorum. Hæc auferat à me omnem ſolicitudinem, ut à ſola benignitate Providentiæ tuæ ſecurus dependeam. Hæc dirigat omnes res meas,illaſque gubernet uſque ad finem, prout novit expedire ad gloriam tuam,& meam ſalutem. Quibuſcumque mediis uti voluerit,proſperis, an adverſis: honore, an ignominia: infamia,an bona fama: abundantia,an penuria; infirmitate, an ſanitate: vi-

ta, an morte: nihil recuſo, nihil repudio: quidquid elegerit ipſa, conſultiſſimum judico, & exoſculor.

Hoc unicum & antiquiſſimum meum deſiderium & cogitatio eſt, voloque, ut ſemper ſit, facere, loqui, cogitare, mi Domine, ſicuti tu judicas utile eſſe ad ſalutem meam, & gloriam tuam: ut in omni æternitate te contempler, admirer, amem, honorem, laudem, benedicam, in omnibus rebus, & ſuper omnes res. Amen.

MISERICORDIA.

Miſericordiâ Domini plena eſt terra. Pſalm. 32.

I.

MIſericordiſſime Domine, tu illa immenſa Miſericordia es, quæ excedit infinitè omnem miſeriam, & malitiam, noſtram. 1. enim, tu eduxiſti me ex nihili

tenebris, & dedisti mihi vitam, & nobilem naturam, factam ad imaginem tuam, & maximis ornamentis repletam intelligentiæ, judicii rationalis, memoriæ, voluntatis. 2. à statu naturæ elevasti me ad statum gratiæ, faciendo me filium tuum. 3. primis duobus statibus alium nobilissimum adjunxisti, nimirum statum gloriæ: nam multo perfectiora, & excellentiora sunt dona gloriæ, quàm gratiæ. Ad hunc gradum immensa tua bonitas, & misericordia me destinavit. Quare, ô anima mea, si obtinuisti secundum gradum, satage, ut evadas etiam ad hunc tertium: præsertim, quia habes tot adminicula ad consequendam tam magnam felicitatem: ut sunt sanctissima Sacramenta, relicta, & acquisita nobis à Christo Jesu, Domino nostro: qui nobis etiam, pro complemento beneficiorum, reliquit sanctissimum

Sa-

Sacramentum ſui precioſi corporis, & Sanguinis.

11, Ah Domine, illumina cor meum, ut poſſim cognoſcere immenſam tuam miſericordiam, cognitamque magni faciam, & habeam ſemper ante oculos, pro regula; donec exeam ex hac miſera vita: & ut anima mea obſtricta tantâ benevolentiâ, & tam exquiſitis beneficiis, correſpondeat toto corde, te amando, ſe dedicando, & obſtringendo ſe ſancto tuo ſervitio.

Tibi ſerviam, Deus meus, tota vita mea: nihil aliud cogitem, quàm facere, quod ſit ad gloriam tuam, & ad eandem tanquam ad ſcopum miſericordiſſimum, omnes meæ actiones, vires, ac talenta dirigantur. Aliud vires meæ non intendant, ſpectent, quærant, quàm facere ſanctam tuam voluntatem: & ut ſaltem aliqua in re correſpondeam infinito tuo amori, quo me ſemper

prosecutus fuisti, & ne tam magno benefactori non sim omnino ingratus.

III. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: Qui sanat omnes infirmitates tuas: Qui redimit de interitu vitam tuam: Qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum, & sic renovabitur, ut aquila, juventus tua.*

Benedicite mecum simul Domino, omnes Angeli, & Archangeli: & vos omnes Angeli, Principatus, & Potestates, omnes Virtutes & Dominationes, omnes Throni, Cherubini, & Seraphini: benedicite, inquam, & laudate, & iterum sine fine laudate communem Dominum nostrum: quia fecit nobiscum non secundùm iniquitates nostras, sed

sed secundùm magnam suam Paternam misericordiam. Laudate illã Cœli, Terra, Mare, & omnia, quæ in eis sunt: Laudent & superexaltent eum in secula. Detur ergo Deo gloria ab omni creatura; benedicat, & gratias agat Domino, omnis creatura in omni loco Dominationis ejus: & hoc fiat in secula seculorum. Amen.

JUSTITIA.

Iustitiâ plena est dextera tua. Quis novit potestatem iræ tuæ, aut præ timore tuo iram tuam dinumerare? Psalm. 89.

I.

NUllus Domine, dignè potest exprimere magnitudinem, & multitudinem suppliciorum, quæ peccatoribus præparasti; & assignasti olim perferenda, per omnipotentiam tuam. Sicut misericordia tua est infinita, ita infinita est Justitia tua; quæ infinitis modis non solùm in futuro seculo, sed etiam in isto, quod pro-

prium eſt miſericordiæ, contra peccatores manifeſtabitur: ut omnes diſcant te timere, & qui benignitate tua non moventur, ſaltem tua ſeveritate moveantur, quæ non ſinet malum ullum impunitum, neq; bonum ullum irremuneratum abire: quia apud te non eſt acceptio perſonarum, cùm ſis juſtiſſimus judex.

II. Delectat me, Domine, placetque mihi hæc tua juſtitia, quâ ſi vel tantillum poſſem te privare, ne poſſes punire peccata mea, non facerem: imò proteſtor, ſi malitia mea, duritia, & obſtinatione nollem venire ad pœnitentiam; atq; adeò ſi induratus, impœnitens, deſperatus mori vellem (quod utinam, Dómine, nũquam, in æternum, permittas) hâc horâ proteſtor, & volo, ut juſtitia tua locum habeat, mittatque me ad æterna ſupplicia: ut quia voluntariâ, & ſalutiferâ pœnitentiâ nolui glorificare miſericordiam tuam,

tuam, ſaltem in tormentis glorificem juſtitiam tuam.

III. Sed, ô mi dulciſſime Domine, dum ago hanc vitam, poſſum per gratiam tuam provocare à Tribunali Juſtitiæ tuæ, ad tribunal miſericordiæ tuæ: & ideo hâc horâ, pro ſemper magnâ fiduciâ, Domine, toto corde, totâ animâ, totis viribus miſericordiam tuam appello, teque obſecro per Ieſum Chriſtum Filium tuum, velis mihi ignoſcere, ne ſubeam tribunal juſtitiæ tuæ. Sanctè promitto, in poſterum cum divino tuo auxilio, emendare vitam meam, & vivere, ut decet ſervum bonum: ut per veram pœnitentiam, ſuaviùs & dulciùs tua miſericordia glorificetur. Amen.

FINIS ULTIMUS.

Ego ſum α, & ω, principium, & finis, dicit Dominus Deus. Apocal. 1.

Quem-

I.

QUemadmodum tu, Domine mi, es prima, & suprema causa efficiens rerum omnium; ita pariter es ultimus finis earumdem; ac præcipuè creaturæ rationalis. Et ideò debeo longè recedere animo à creaturis, nullamq; in eis spem collocare; quia permultum me impediūt, ne possim pervenire ad felicem, & ultimum meum finem, propter quem me creasti, qui es tu, verum, unicum, & maximum meum bonum.

Unde nihil mihi magis cordi esse debet, quàm ut conjūgar tibi visione, amore, gaudio; in qua unione consistit meum summum bonū, & summa tua gloria. Quare ut stercora æstimo omnes delectationes, & illecebras hujus vitæ, in cōparatione hujus maximi boni. Et ex hoc momento tēporis dirigo omnes meas cogitationes, opera, & desideria ad hunc finem; neque fatigabor, aut desistam,

ſtam, donec ad eundẽ perveniam.
II. Sed quia ex me ipſo non ſum aptus ad tã magnum bonum; ad te, ô miſericordiſſime Deus, recurro; ut per immenſam bonitatem, quâ creaſti mundum, & factus es homo, & poſtea propter nos mortuus; perque alia infinita beneficia mihi præſtita; & per æternum beneplacitum tuum, quo me prædeſtinaſti ad tam ſublime faſtigium gloriæ; nolis deſiſtere eſſe meus benefactor: quãvis ego ſim ingratiſſimus, & negligẽtiſſimus, dum tempus habeo vacandi bonis operibus: ſed hoc ipſum potiùs tuã benignitatem incitet, ut tãto magis me adjuves ac protegas, quanto ego ſum infirmior. Recordare obſecro finis ad quem ab æterno me deſtinaſti, ne irritũ ſit in me ſanctiſſimum cõſilium, ac deſiderium tuum. Illumina mẽtem meam lumine ſancti tui Spiritus, quo directore, poſſim perfectè cognoſcere vanitatem hujus

hujus mundi, & pericula, quæ in ipso inveniuntur: & ex altera parte intelligam quoq; magnitudinem, excellentiam, suavitatē bonorum immensorum, quæ mihi in te ipso præparasti: pro quibus toto corde tibi gratias ago, & omni vanitati lubens renuncio.

III. Fac, mi Domine, ut mens mea aliud non cogitet, neque aliud intellectui meo firmiter imprimatur, quàm hic ultimus finis: ut spretis per omnia omnibus caducis, & temporalibus, me protinus elevem ad amandas res æternas, & hunc felicem & ultimum meum finem. Nunquam defatigentur mea bona desideria, nec suspiria, nec gemitus propter illam felicem Patriam; neque ego unquam cessem pugnare contra me ipsum; quemadmodum etiam nunc propono facere, donec perveniam ad terminum hujus vitæ, quando omnes sancti requiescent in te summo bono, & fine no-

noſtro, per viſionem, & amorem, & ineffabilem conſolationem: cùm pervenerit ad conſummationem adimpletæ ſuæ intentionis, ac deſiderii tam optati & exſpectati, nimirum ultimi finis, & ſummi boni, pro quo tam heroicè decertaverunt, uſque ad glorioſiſſimam victoriam. Amen.

CONCLUSIO AMOROSI Pacti cum Deo.

TAndem, dulciſſime mi Domine, quia cognoſco te eſſe unicum meum bonum, ultimam meam felicitatem, & beatitudinem, nullo pacto debeo me à te ſeparare, ſed ſemper tecum eſſe unitus, & conjunctus. Quare deſidero, & operam dabo, ne momentum ullum temporis prętereat, quo non confirmem ea, quæ ſuperiùs annotavi, & conſtitui. Et ut hoc aſſequi poſſim, cupio nũc, quâ poſsũ reverẽtia & humilitate, cum tua divina majeſtate inire pa-

pactum, & perpetuo fœdere sancire, ut queadmodum quoad vixero, nunquam cessabo respirare: ita nũquam cessem in te credere, te amare, te laudare, gratias tibi agere, me offerre, me tibi resignare, in te sperare, gaudere; & abhorrere à mundo, velut à peste: habere zelũ honoris tui & salutis animarũ: te timere, me humiliare, pœnitentiam agere, sancta proponere, & amare proximum meum. Diligere quoq; castitatẽ, paupertatem, obedientiam: & petere à te, quæ suprà petivi. Præterea te cognoscere, adorare, & te Deum Infinitum, Immẽsum, Immutabilem, Æternum, Omnipotentem, Sapientem, Bonum, Sanctum, Benignum, Providum, Misericordem, Justum, & Ultimum nostrum Finem, confiteri. Et ideo nunc, omni humilitate, coram D.T. Majestate, & tota curia cœlesti protestor, quòd cupiam toto corde, tota illa virtute, puritate in-

intentionis, & efficacia qua maxima possum, omnia ista observare, quæ supra notavi, & dixi, quoties respiravero: & quoties aliquo actu, qui tibi placuerit, me ad te convertam. Accipe Domine illum nunc; & pro illo, & pro omni tempore. Atque hoc animi mei desiderium ratum confirmatumque sit, gratiosissimo beneplacito tuo in æternum. Amen.

AFFECTUS ERGA personam DOMINI JESU EX R. FRANCISCI BOURgoinei, Presbyteri Congregationis Oratorii, Meditat. classe 4.

PRIMA PRAXIS ADORAtionis erga Dominum Iesum.

I.

IN honorem, & unionem dignissimi, & divinissimi primi illius actûs Adorationis, quem anima Iesu è nihilo creata, & uni-

ta Divinitati, erga Deum, & ipsam divinitatem exercuit, in primo suæ creationis: & jam factæ incarnationis, instanti.

3. In honorem, & unionem status ejusdem animæ, perpetuò Deum adorantis, modo ineffabili, in vita mortali, & in æternitate sua.

3. In honorem, & unionem primi actus adorationis excellētissimi, quem Maria, mater Dei exercuit, erga Dominum Jesum, tum proximè post ejus incarnationē, tum post nativitatem, in præsepi.

4. In honorem perpetui affectus, & status adorationis, sanctissimæ Virginis, erga Jesum filium suum, præsertim in ejus infantia, quando illum lactabat, tractabat, & intuebatur.

5. In recollectionem, & unionem primæ adorationis Angelorum, erga Jesum infantem, in momento suæ nativitatis, juxta Dei mandatum: *Cum iterum intro-*

ducit

ducit primogenitum in orbem terrarum, dicit : & adorent eum omnes Angeli Dei. Hebr. I.

6. In recollectionem, & unionem omnium Adorationum, quæ Domino Jesu super terram exhibitæ fuerunt, ut à Magis, a Cæco nato, & aliis.

7. Deniq; in honorem, & unionem perpetui cultus adorationis Angelorum, & Beatorum in cœlis erga Jesum, hominem, Deum, & ejus humanitatem.

PRIMA Fiat praxis adorationis, Dominum nostrum Jesum Christum, secũdùm primum statum, in sinu Patris, ab æterno residentem. 1. Illum agnoscendo verum Deum de Deo vero, patri consubstantialem, ejusdem Majestatis & gloriæ, ac rerum omnium Dominum. 2. nos tanquam creaturas, & servos, illi ex toto affectu submittendo. 3. Illam submissionem omnibus modis, ac præsertim per humillimam no-

ſtræ ſervitutis oblationem proteſtando.

SECUNDA Adoratio fiat, Domino Jeſu in ſecundo ſtatu conſiderato. 1. illum confitendo, & agnoſcendo verum, & unum cum Patre Deum, in humanitate ſubſiſtentem, & cum illo Spiritum S. producentem. 2. ipſam humanitatem, quatenus in Verbo ſubſiſtit, infinitæ dignitatis, & ſanctitatis, & divino cultu honorandam, intuendo. 3. ipſum hominē Deum ex humanitate & Verbo admirabile compoſitum IESUM Chriſtum, mediatorem DEI & hominum, tanquam noſtri cultûs & adorationis objectum. Sub hoc triplici intuitu nos illi totos ſubjiciendo, & noſtram erga ipſum ejuſque ſanctiſſimam humanitatem, quibus debemus, & poſſumus modis, infimam ſervitutem proteſtando.

TERTIA Fiat praxis Adorationis erga Dominum JESUM, in ter-

tertio, & spirituali, erga animas, statu consideratum. 1. illius supremum in omnes animas, & spiritus, tam in cœlis, quàm in terra, & apud inferos, imperium & potestatem agnoscendo. 2. nos totaliter ejus S. Spiritus, suaviter & fortiter operantis, potestati committendo, & subjiciendo. 3. hanc submissionem omnibus modis interius, exteriusque protestando.

SECUNDA PRAXIS, HONORIS, ÆSTIMAtionis, & Reverentiæ.

I.

IN honorem, & unionem summæ reverentiæ, quam & primùm ab instanti Incarnationis, & deinceps perpetuò in vita mortali, & æternùm in cœlis anima Jesu exhibuit, & exhibet Divinitati, sibi intimè, & hypostaticè præsenti.

2. In honorem, & unionem omni-

omnium actuum, & ſtatûs continui humillimæ Reverentiæ, quam Virgo Deipara Filio Dei, filio ſuo, homini Deo, & ejus humanitati exhibuit in terris, & quâ æternum in cœlis illum intuetur & reveretur.

3. In honorem, & unionem intimæ æſtimationis, honoris, & reverentiæ, qua dilecta multùm, & multum diligens Magdalena, ſtans aut ſedens ſecùs pedes Jeſu, aut juxta crucem, aut ad monumentum, aut in ſolitudine, ſuum Magiſtrum & Dominum, ſicut illum vocabat, perpetuò coluit, & honoravit.

4. In recollectionem, & unionem omnium tam Angelorum, quàm hominum, agentium in terris, & in cœlis beata illius præſentia perfruentium, qui illum cum profunda reverentia intuendo coluerunt, vel nunc facie ad faciem, ejus Divinitatem reverenter, & trementer intuentur.

PRIMA fiat praxis, circa ipsum Esse divino humanum Jesu Christi, Domini nostri: ipsum maximi in apprehensione nostra æstimando: scil. super cœlum, super terram, super Angelos & homines, super omnia creata, tam facta, quam possibilia: illudque quasi nobis dictum audiēdo: Joan. 4. *Si scires donum Dei, & quis est*, item illud Matt. 12. *Plusquam Ionas, plusquam Salomon*, plusquam omnia est hic. 2. Illam æstimationem protestando, & testificando: tum coram Deo, qui est inspector cordium, per affectus: tum coram Deo & hominibus, prædicando, & debitum cultum exhibendo. 3. Demum magna animi submissione reverendo: hoc est, nos coram Jesu humiliando, secundùm proportionem distantiæ nostræ, vilitatis & nihili, ad ipsius Majestatem, & excellentiam comparati. *O tu quis es, Domine, & quis ego sum?*

SECUNDA fiat praxis reverentiæ, iisdem actibus æstimando honorando, & reverendo omnem potestatem, excellentiam & dignitatem infinitam, ac divinum Spiritum Domini JESU agentem in ipso, & omnia in omnibus operantem.

TERTIA fit circa diversas operationes, cum Divinitatis in humanitate, tum humanitatis erga divinitatem: tum denique ipsius animæ Jesu tam interiores, quàm exteriores erga nos: per eosdem magnæ æstimationis, summi honoris, & reverentiæ actus, suprà positos: & circa ista, hi in summa actus possunt elici: attentissimè intueri, magni æstimare, devotè colere, humillimè subesse, affectuosè amare, profundè se demittere, summè revereri, denique apud omnes laudare, benedicere, & prædicare Domini nostri Jesu Christi excellentiam & majestatem.

TER-

TERTIA PRAXIS, OBLATIONIS VITAE NOstræ, in vitam Jesu Christi.

I.

IN honorem, & unionem primi actus oblationis Animæ Jesu ab instanti Incarnationis Deo Patri factæ.

2. In honorem, & unionem perpetui statûs exhibitionis totius Humanitatis JESU, coram Deo Patre, per modum hostiæ & victimæ pro salute mundi, in vita sua mortali.

3. In honorem & unionem illius specialis & spontaneæ oblationis, quam Dominus Jesus fecit Deo Patri ad Passionem & mortem crucis, in oratione, & agonia sua.

4. In honorem & unionem primæ oblationis, & perpetuæ exhibitionis sui, Sanctissimæ Virginis, erga JESUM Filium suum, & Deum suum.

5. In honorem, & unionem

omnium interiorum actuum, & statuum oblationis, & consecrationis amantis Magdalenæ, & aliorum, qui in terris Domino Jesu adhæserunt, ac tandem omnium animarum sanctarum.

Fiat PRIMA oblatio vitæ nostræ naturalis,& omnium,quæ illam constituunt, aut ab illa dependent,ut Corporis,Animæ,facultatum, & sensuum, &c. vitæ Domini Jesu passibili, & mortali. 1. illi sine reservatione vitam nostram exhibendo. 2. ei totaliter donando, & irrevocabili proposito consecrando. 3.respectum,& intuitum humillimæ dependentiæ vitæ nostræ,& laborum ejus, ab illa vita laboriosa Jesu, in nobis constituendo, aut potiùs postulando. 4. honorando intimo affectu omnes miserias, infirmitates,& indigētias, ad quas se Jesus Christus, verus Deus, demittere voluit, eisque nostras, ejusdem generis, naturales mole-

stias,

ſtias, & neceſſitates uniendo: ut ab illis à fece eleventur, & in ipſo ſanctificentur: tum etiam alias caſuales, quæ nobis invitis accidunt.

SECUNDA fiat oblatio vitæ noſtræ ſpiritualis per gratiam, & omnium ſtatuum, & diſpoſitionum animæ, vitæ Domini Jeſu Divino-humanæ. 1. illi magno affectu adhærendo. 2. ab illa influxum vitæ, & ſpiritum ſuſcipiendo. 3. ab illa dependendo, ut à vite palmites pendent. 4. ſe illi totaliter committendo: deniq; hos affectus, & diſpoſitiones adhæſionis, dependentiæ, & participationis ab illa, humiliter poſtulando.

TERTIA oblatio fiat æternitatis noſtræ, & vitæ futuræ, vitæ Jeſu Chriſti Domini noſtri glorioſæ. 1. illam intuendo, & honorando, tanquam exemplar objectum, fontem, & cauſam æternæ nobis in cœlis gloriæ, quaſi audia-

diamus Jesum clamantem & dicentem: Matth. 6. *Ecce merces vestra copiosa*, vel: *Ego ero merces vestra magna nimis*. 2. summo affectu cupiendo, & sperando, beatissimo tandem adspectu JESU Christi in cœlis perfrui. 3. totam æternitatem nostram, ad illius gloriam, & voluntatem adimplendam purissimè referendo, & dedicando: ut non gloriam nostram, sed solius Jesu Christi quæramus, & optemus in æternum. Hæc sit vita nostra æterna illum honorare, glorificare, revereri, & amare: non quia inde beati, & felices efficiemur: sed ut magis ipse gloriosus appareat: adeò ut si amor Jesu esset apud inferos cum tormentis, infernus esset noster Paradisus: quem optare & præferre omnibus Cœli deliciis, si sine amore Jesu esse possent, deberemus.

QUARTA PRAXIS RENOVATIONIS, IN Proposito & spiritu perfectionis Ecclesiasticæ.

I.

IN honorem & unionem perfectissimæ, nunquam interruptæ, ac sine ulla renovatione continuæ præsentiæ Spiritus Animæ Jesu ad Divinitatem.

2. In honorem, & unionem attentionis, & applicationis, cùm in Actu, tùm in statu permanentis voluntatis, intellectus, & omnium facultatum, ac totius Animæ Mariæ erga Jesum.

3. In honorem primi Luminis, & infusionis gratiæ, quâ Jesus amantem discipulam Magdalenam, ab ipsa primum ad se: ab Amore creaturarum, ad amorem sui: à plurimis, ad unum necessarium convertit, & totam renovavit: in honorem quoque omnium Vitæ ejus instantium, quibus illam

lam in novo gratiæ ſtatu ſemper renovavit.

4. In honorem quoque primi Inſtantis, quo Jeſus Apoſtolum è Saulo in Paulum: è perſecutore in prædicatorem mundi: ex lupo in agnum commutavit: & ſic renovavit, ac tandem converſionis animarum, quas Jeſus ad ſe traxit & convertit: omnium deniq; inſtantium, quibus animas pias, & ſanctas nova gratia adaugendo renovavit, ſicut canebat Pſaltes: *Renovabitur ſicut aquila, juventus mea.*

Sequatur Praxis triplex renovationis. PRIMA, quæ primam perfectionem Domini Jeſu reſpiciat, & revereatur, circa propoſitum omnis perfectionis Eccleſiaſticæ, quæ eſt Euangelica, acquirendæ. 1. Audiendo vocem Chriſti dicentis, Matth. 5. *Eſtote perfecti, ſicut Pater cœleſtis perfectus eſt:* Jeſus eſt Dominus & Magiſter noſter, qui loquitur: & nos

nos ad imitationem Patris cœlestis, tanquam filios invitat. 2. Revocando in affectu, omnia pia desideria, cogitationes, proposita firma, & sæpius repetita, quæ unquam infudit divina bonitas; tendendi, & perveniendi ad perfectionem, quam Jesus ipse verbo & magis exemplo nos docuit. 3. Rogando Dominum Jesum, ut dignetur illa omnia in nobis renovare, excitare, & accendere: ac si hæc præsens hora esset nobis prima & ultima, deniq; & in Centuplum adaugere.

SECUNDA renovatio fiat circa statum, & Spiritum vocationis nostræ, intuendo alteram perfectionem Domini Jesu in omni plenitudine gratiarum. 1. hanc nostram vocationem concipiendo, tãquam fontem, è quo nobis fluunt omnes aliæ gratiæ, & statum illas in se continentem, & cui debeat in Cœlis gloriæ status respondere. 2. illam proinde

inde magni æstimando, & faciendo, ne cadat in nos illa exprobratio: *Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* 3. Illi fideliter & plenè cooperando, & se dignum exhibendo Christi Domini ministrum & servum. 4. Singulis diebus illius æstimationem, & desiderium renovando: petita scilicet pro defectibus contra illam admissis, venia, & accenso novo fervore, & proposito.

TERTIA Renovatio fieri potest circa specialem internæ vocationis gratiam, & tractum interiorem sancti Spiritus in nobis, ad cultum & honorem divini status, & perfectionis Christi Jesu, ut est Homo Deus. 1. Se illi totaliter sine limitatione, aut reservatione offerendo, ad omnia ejus beneplacita, dicendo: *Domine, quid me vis facere?* Act. 9. 2. discutiẽdo semel in die quid in nobis sit, quod potissimum divinæ gratiæ influxum sistat, & impediat; quis

quis defectus, quæ adhæsio, & amoris proprii latebra: illud radicitus in affectu avellendo. Deinde quid illud sit, quod Deus à nobis magis requirat, & velit: quid nostro agendi modo addi, quid detrahi, quid circa illum mutari, & emendari conveniat? 3. firmum concipiendo, & renovando propositum id peragendi, quod erit in se perfectius, & melius, Christo Domino gratius, & ad ejus majorem laudem ac gloriam tendet.

QUINTA PRAXIS, UNIONIS, SOLITUDINIS, ET recollectionis internæ ad unum necessarium.

I.

IN honorem hujus altissimæ veritatis Christi Domini: *Ego & Pater unum sumus*, Johan. 10. 2. In honorem, tum unionis humanæ cum divina natura in hypostasi, tum ex consequenti, omnium

mnium aliarum ineffabilium Unionum amoris,gratiæ,& voluntatum utriusque naturæ.

3. In honorem omnium admirabilium Unionum, & Communicationum, quæ sunt nobis absconditæ,inter Jesum,& Mariam.

4. In honorem, & unionem hujus Voti, & orationis Domini Jesu ad Patrem: Pater, sint unum, sicut & nos unum sumus: sic in nobis unum sint, & sint consummati in unum.

5. In honorem solitudinis humanæ naturæ in Christo cum divina: quia nulla unquam in simile consortium creaturæ admittetur.

Sequatur triplex Praxis Unionis nostræ, & recollectionis ad Jesum.

PRIMA, tanquam ad primum principium & finem nostrum ultimum,& unicum: quæ primam Christi Domini cum Patre unitatem adoret. 2. ad illum, & ad ejus glo-

gloriam, & voluntatem adimplendam, actu dirigendo omnia nostra dicta, facta, & cogitata: deinde omnia nostra, tam interiora, quàm exteriora, & nos ipsos. 2. Illum in omnibus suscipiendis, & aliis, tanquam scopum intuendo, & ab ipso, cujuscumque rei, per invocationem capiendo primordia. 3. Renunciando amori proprio, & nostram intentionem, quàm fieri poterit, purificando: ut purè, & sine admixtione terrenæ, aut propriæ fecis, ad Jesum tendat.

SECUNDA sit, quæ alteram subsistentiæ divinæ, in utraque Christi Domini natura, Unitatem respiciat, solitudinis & recollectionis ad Dominum Jesum, tanquam ad *unum necessarium*. 3, illud sæpe affectu repetendo: *Vanitas vanitatum, præter amare Iesum, & illi soli servire*: & hoc nobis in vita, & æternitate, est unum illud necessarium. 2. Ut so-

lebat S. Catharina Senensis, penetrale intimum cordis sui reservando Domino Jesu: ibi solum cum solo sæpiùs se recolligendo: ibi audiendo veritatem intùs loquentem. 3. Marthæ aliquando partem relinquendo: hoc est, plurima, circa quæ erat occupata, & turbata: & in quiete Orationis partem optimam Mariæ eligendo, quæ est illud *unum necessarium*; hoc est, ut per veram animi, sive voluntatis, aut exterioris applicationis sensuum, simplicitatem, nova, inutilia, curiosa, superflua, aut quæ ad nos non pertinēt, quę officium nostrum, obedientia, vel charitas non præscribit, & de quibus Deo rationem reddituri non sumus: illa, inquam, *plurima* omittamus, & *unum* eligamus: *uni* non solùm intentione, sed cum majori recollectione, & unitate actionum applicemur. 4. Ut in oratione cum Deo nos simpliciùs geramus, atque humi-

liùs,

liùs, non nostris fidendo conatibus: sed magis nos Deo totos committendo, & ab eo eleëmosynam solùm petendo.

TERTIA erit Unionis, & adhæsionis cum Christo Domino in omnibus, quæ tertiæ, quam habet, & vult nobiscum habere, respondet unitati. 3. Nos totos illi exhibendo, offerendo, & uniendo, tanquam membra capiti, animas animæ, corpora corpori, corda cordi, spiritus spiritui, desideria & omnes voluntates Sanctissimæ voluntati, denique vitam vitæ Domini Jesu. 2. Magis in particulari, vel quotidiè assumendo aliquod punctum, & mysterium Christi Domini, cui nos omnia nostra uniamus: vel ad singulas actiones, aut quæ occurrunt toleranda, aliquid seligendo in Domino Jesu conforme, cui illa dedicemus: ut in exercitiis humiliationis, spectando humiliationem aliquam ejus in parti-

culari:in miſeriis hujus vitæ,eaſdem, quas ipſe ſuſtinuit pro nobis, infirmitates honorando. 3. iſta tria differunt,honorare,offerre & unire: primum enim continet animi ſubmiſſionem,cum teſtificatione internæ excellentiæ: quæ in Chriſto Domino elucet: ſecūdum verò obſequium, quod ipſi aliquo facto, & opere exhibemus, ad illam teſtificandam: tertium verò eſt noſtras aliquo modo actiones Jeſu Chriſti actionibus copulare;quo fiat,tùm ut noſtræ ab illis ſanctificentur, eleventur, & quaſi unguento ejus gratiæ perfundantur:tùm ut noſtræ eſſe deſinant, & Chriſti eſſe incipiant: ut paululum aquæ,in unū dolium injectæ,vim ſuam & naturam perdit, & in vinum tranſmutatur. Non quod naturali, & vitali modo non noſtræ eſſe queant: ſed quod per hanc unionem fiant etiam ſupernaturales,& ad ſublimiorem gradum

dum ſanctitatis eleventur: quâ ratione ſolius ſunt Chriſti, & non noſtræ.

SEXTA PRAXIS, HUMILIATIONIS ERGA CHRIſtum Dominum, ex profeſſione noſtræ indignitatis, ipſius ſupremæ dignitati comparatæ.

I.

IN honorem, & cultum humillimum, divinæ, & infinitæ dignitatis Jeſu Chriſti, in Divinitate ſua, & in Majeſtate perſonæ æternæ, qua, infinita gloria, & obſequio dignus eſt: quòd à ſeipſo ſolo ſibi cōdignè poteſt exhiberi.

2. In honorem ſupremæ, & infinitæ dignitatis, quę Naturæ humanæ, in Verbo ſubſiſtenti, per unionem communicata fuit; qua digna eſt Deum, ſupremo, & infinito cultu, atque ejus infinitati reſpondente, colere, adorare, & glorificare,

3. In honorem, & reverentiam ejusdem dignitatis Christi erga nos, qua dignus est, omnem gratiam nobis promereri, omnes animas creabiles sanctificare, omnia peccata possibilia delere, &c.

4. In honorem dignitatis Christi Domini, quâ ipse dignus est adorari, glorificari, & amari in æternum ab omni creatura.

Sequatur Praxis humiliationis erga Jesum, seu triplex confessio nostræ vilitatis, & indignitatis.

PRIMA sit nostræ pravitatis, abjectionis, humilitatis, nihili; & quod pejus est, indignitatis in natura, ipsi dignitati Christi Domini, ut Deus est, & ut homo-Deus, ex adverso opposite, ex qua 1. sumus verè coram ipso nihil, in omnibus, in anima, in corpore, in principio ortûs, in progressu vitæ, & in fine: quia ex solo Dei concursu subsistimus. 2. ad omnem Dei gratiam, aut benefici-

ficium, ſumus impotentes, & ex nobis indigniſſimi: hanc utramque agnovit Virgo humillima: *Reſpexit Deus humilitatem*, hoc eſt, abjectionem, nihil & indignitatem *Ancillæ ſuæ*. 3. ad omne malum ſumus impotenter potentes, capaces, & proni:& niſi Dei nos præſervaret miſericordia, in omnia labi poſſemus. *O Domine, Tu quis es, & quis ego ſum?* ut identidem S. Franciſcus repetebat.

SECUNDA ſit confeſſio noſtræ indignitatis ex peccatis contracta, alteri dignitati Chriſti Domini, qua ut Sanctus Sanctorum eſt, & ex communicatione idiomatum, omni honore dignus: ac 1. ſumus ex nobis pauperes, & nihil habentes, ſumus indigentes omnium, & mendici, omnia à Chriſto Domino mendicatim accipientes, ſimiles ſanè illi, *qui incidit in latrones, qui deſpoliaverunt eum*. Luc. 10. 2. Sumus ad omne bonum gratiæ, & meritorum

æternæ vitæ, omnino ex nobis ipsis impotentes: *Sine me*, inquit Dominus, *nihil potestis facere*; & Apostolus: Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis. 3. fateamur nostram, coram Christo Domino, indignitatem, ex malitia voluntatis, ac perversitate intellectûs: ad desiderandum, quod nobis conveniat: & ex ignorantia in intellectu, ad illud sciendum, aut intelligendum, quod glorię Dei, & saluti nostræ magis expediat: quæ duo sunt peccati effectus pestiferi.

TERTIA sequatur ex iis. 1. altera confessio nostræ indignitatis, qua digni sumus, quos Deus in massa perditionis relinquat, & omni gratiæ privet auxilio: ob tot defectus, & abusus commissos ipsius divinæ gratiæ: qui enim acceptum talentum, non dat ad usuram, non solùm indignus est, cui plura credantur; sed etiam me-

meretur, ut ab illo, quod habet, auferatur. 2. intueamur, revereamur, & toto affectu diligamus hanc maximam Jesu Christi Dignitatem, atq; Humanitatis ejus, quæ digna est omnia delere peccata, & omnes animas sanctificare. 3. ad illum tandem recurramus, tanquam omnes nostros defectus, & indignitates, sua dignitate infinita supplentem: petamus proinde illi adhærere & uniri, illam Deo Patri in supplementum offerre, ut sicut Jacob, hœdinis pellibus opertus, Patris benedictionem obtinuit: sic Christi Domini meritis, & dignitate nobis applicata, Dei misericordiam impetrare possimus.

SEPTIMA PRAXIS, AMORIS in Dominum Jesum.

I.

TRiplici sanctitati, & gratiæ Jesu Christi, triplex in illo respondet amor; PRIMUS est Divi-

nus, æternus, infinitus, & Deus ipſe; quo per communicationem idiomatum, homo Jeſus Patrem amare dicitur. SECUNDUS eſt ex plenitudine gratiæ in Chriſto procedens, quo humanitas Jeſu diligit Deum, plus quam Angeli, & homines in æternum. unde ait: *Diligo Patrem; & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* TERTIUS eſt reſpondens gratiæ capitis, quo Ieſus tanquam caput noſtrum nos amat. *Dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.*

In honorem igitur hujus triplicis amoris Jeſu Chriſti, triplex in ipſum Praxis Amoris exerceatur.

PRIMA igitur praxis, ſit amoris erga Jeſum, in primo ſtatu, ſanctitate, & amore conſideratum: ac 1. diligamus Ieſum; quia ipſe eſt in ſe infinito amore dignus: quia eſt ipſa divinâ ſanctitate ſanctus; quia eſt æternâ boni-

nitate bonus: cujus eſſentia eſt bonitas: & qui nobis, ut hîc eſt ſummum noſtrum bonum: omnis Angelorum & hominum amoris objectum, in æternum. 2. diligamus Ieſum; quia ipſe non ſolùm infinito amore dignus eſt, ſed infinito amore amans, & diligens Patrem: hunc æternum amorem Filii in Patrem, profundè adoremus, & amemus. 3. diligamus Ieſum; quia *Pater diligit Filium, &c.* quia ipſe infinito, & divino amore à Patre diligitur.

Secunda praxis amoris, ſit erga Jeſum, in ſecunda ſanctitate, & plenitudine omnis gratię ſpectatum. Ac 1. diligamus Jeſum; quia ipſe dignus eſt in hoc ſtatu: quia eſt admirabile amoris compoſitum: quia ex amore homo factus, & de Spiritu S. (qui eſt Amor Deus) conceptus eſt: quia eſt ejuſdem S. Spiritus operationis (quæ eſt amoris) terminus; quia eſt objectum in ſe amoris digniſ-

ſimum : quia ex plenitudine gratiæ,& theſauris ſapientię Dei habet dignitatem,& bonitatem;ſuper omne, quod eſt, vel eſſe poteſt. 2. diligamus Jeſum;quia in hoc ſtatu creato, Pater illum diligit, Spiritus S. diligit,tota Trinitas diligit : quia ipſe ut homo,& in humanitate ſua, eſt digniſſimum complacentiæ Patris objectum, de quo ait: *Hic eſt Filius meus dilectus, &c.* quia per illum ſolum poſſumus à Deo diligi, & complacere Patri. 3. diligamus Jeſum;quia ipſe per amorem gratiæ creatæ diligit Patrem amore perfectiſſimo,continuo, & numquam, à primo Incarnationis momento, interrupto, vel in æternum interrumpendo: & cujus unicus actus, amore æterno, omniũ Angelorum, & hominum, ſit dignior,Deoq; acceptior:quia denique hoc amore, humanitatis ſuæ, omnem amoris in creaturis defectum ſupplet, ô Jeſu, ſuper

omnia

omnia diligende, ſuper omnia Deum diligens, & ſuper omnia dilecte, diligam te in omnibus: & ſuper omnia, ut te, qui ſolus es dignum amoris & objectum & præmium, omne deſiderium ſuperans, in æterna tandem felicitate conſequamur.

Tertia praxis exerceatur erga Jeſum Chriſtum in tertio ſtatu, per reſpectum ad nos: ac 1. diligamus Jeſum; quia ipſe eſt caput noſtrum, noſq; membra ejus: ipſe eſt Pater, nos Filii: ipſe ſpōſus, nos ejus deliciæ: ipſe Dominus, nos ſervi: ipſe Paſtor, nos oves paſcuę ejus: ipſe Salvator, nos ejus ſanguinis precio magno redemti. 2. diligamus Jeſum, *quia prior dilexit nos.* quia cùm dilexiſſet, homo factus ab initio, *in finem*, & in mortem uſq; dilexit nos: quia ex amore noſtri tot labores & dolores, ac mortē acerbiſſimam ſuſtinuit: quia ardentiſſimo deſiderio, & ſiti ſalutem noſtram con-

cupi-

cupivit: quia nobis singulis ita passus, ac si pro solis: quia nunquã in æternum nos amare cessabit. O quãto amore dignus tam antiquus, tantus, & tam perseverans amator! 3. diligamus Jesum, quia ipse est Deus noster, homo noster, & unicuique dicit: *Omnia mea tua sunt*, quia *cum in forma Dei esset*, æqualis Patri, propter nos homines, & propter nostram salutem, *formam servi accepit, & homo factus est*: quia suum corpus & sanguiné in Altaris Sacramento, cibum & potum animarum, præ nimio amore, reliquit: quia ipse innocens pro peccatoribus, justus pro injustis, sanctus pro ingratissimis, in Cruce mortuus est: quia applicatione meritorum suorum, per Spiritum S. & infusionem gratiæ suæ, sanctificat animas nostras: quia nos in cœlis glorificabit, & utrumq; sensum beatificabit, & reficiet, oculum cordis in visione suæ divinitatis, & oculum corpo-

ris

ris præſentia humanitatis ſuæ, Diligam te, ô Domine Jeſu, *fortitudo mea*, per incarnationem: *firmamentum meum*, per ſacram Euchariſtiam: *Refugium meum*, per Crucem: *Liberator meus*, per gratiam, & gloriam æternam. O Domine Jeſu Chriſte, qui dixiſti: *Petite, & dabitur vobis*: quæſumus, da nobis petentibus, diviniſſimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore & opere diligamus, & à tua nunquam laude ceſſemus. *S. Aug. in Pſ.* 17.

OCTAVA PRAXIS, SERVItutis erga Dominum Jeſum.

PRimò. In honorem & adorationē formæ Dei, quam Jeſus habet in Patre, ut Patri æqualis.

Secundò. In honorem filiationis ejus naturalis, qua ab æterno procedit à Patre, & ad quam per unionem hypoſtaticam eſt evecta in Chriſto natura.

Tertiò. In honorem & piam recol-

collectionem formæ servi, quam Jesus accipere voluit, in *similitudinem hominum factus*. Phil. 2.

Quartò. In honorem omnium obsequiorum, & servitiorum, quæ Jesus Christus, tanquam Patris servus, illi exhibuit.

Quintò. In honorem humilis, & servilis Nativitatis, vitæ, ac præsertim Mortis maximè servilis Jesu Christi.

Sextò. In honorem, & unionem horum affectuum, effectuum, & verborum Christi Domini: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. & Ego in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.* & *Qui major est in vobis, fiat sicut minor.*

Sequatur triplex professio nostræ servitutis, erga Christum Dominum.

Prima fiat ipsi Christo Domino, ut Deo, ut Creatori, ut summo Domino, ac nos totos, ac totaliter inesse Naturæ, corpus, animã,

po-

potentias, & quæcumq; ab illis pendent aut procedere possunt: hoc est, actiones & passiones, &c. supremæ ipsius Majestati, Divinitati, Immensitati, & infinitati offerendo, dedicando & consecrando, in servos, & titulo servitutis, illi jure suæ Majestatis, & nostræ parvitatis, debitæ. 2. ut Creatori & Auctori nostro, nos illius creaturas: ac proindè naturaliter & essentialiter servos, omnibus, quibus possumus, & debemus, modis illi devovendo. 3. Supremo eius Domino, Imperio, ac Omnipotentiæ, quam in nos habet, ut creaturas, & servos suos, qua *potest & animam & corpus perdere in gehennam*, & nos in nihilum redigere: & nos illi in omnibus, & per omnia subjiciendo, ac submittendo.

Secunda fit per respectum ad ejus bonitatem, & misericordiã, in toto esse. & statu gratiæ: ac illum, ut fontem omnis gratiæ re-

ve-

verendo, & nos illi, ut auctori, & causæ omnis nostræ sanctificationis & salutis, exhibendo in servos humillimos: *Nec enim aliud nomen est, in quo oporteat nos salvos fieri.* 2. illum jure redemtionis, in cruce f. ctæ, Dominum nostrum agnoscendo: qui nos suo pretioso sanguine redemit: ac proinde illi, tanquam servos emtitios, & mancipia nos, vitam præsentem, & futuram in æternitate donando. 3. illum, ut glorificatorem in cœlis, & æternitatis objectum, & copiosam mercedem, suspiciendo: ac nos illi secundùm esse, & statum æternæ gloriæ, quam speramus pro nunc, & pro æternitate in servos devovendo.

Tertia fiat oblatio per intuitum supremi, & superexcellentissimi status Unionis hypostaticæ: ac 1. solemnem erga Jesum Christum, hoc titulo factam, servitutis professionem: qua Satanæ, & omnibus pompis ejus abrenun-

renunciantes, nos Christo Domino adhæsuros protestati fuimus in Baptismo: & charactere servitutis indelebili signati fuimus, renovando, & ex toto corde eadem iterum protestando. 2. speciali donatione Jesu Christo Deo-homini, ejus Divinitate subsistēti, viventi, & ineffabiliter operti. illiusque vitæ divinissimæ & humanitati sacratissimæ totaliter donando, & æternum Anathema consecrando. 3. petendo suppliciter, ut dignetur Jesus Christus, Dominus & Deus noster, nos in suos servos, & mancipia, suæque humanitatis sanctissimæ acceptare: nos tales facere, quibus vult modis, quibus dignus est, & debemus: & hujus servitutis perpetuæ, & irrevocabilis characterem novum, & indelebilem imprimere. O Jesu, sim servus tuus, sim hoc vinculo fortiter tibi devinctus. O Jesu, fac me regiam servitutem tuam omnibus Mundi

Re-

Regnis, & Imperiis anteferre, qui es *Rex regum*, *Dominus dominantium*, *cujus Regni non erit finis*, qui es DEUS benedictus in secula. Amen.

Omnia ad majorem Dei Gloriam.

INDEX.

Com-

Iu-

FINIS.

PRAXES, *Sive* ACTUS VIRTUTUM EXTERIORES.

PRAXES, EXTERIORESVE Actus Fidei.

MANE à ſomno, poſt ſolemnes hominis Chriſtiani preces, conſtitutus animo ante conſpectum Dei, & totius Curiæ cœleſtis, edes fidei tuæ profeſſionem, recitans ſymbolum Apoſtolorum, his inſuper adjectis ex Concil. Trident. formula *Præter hæc admitto, recipio & firmiſſimè amplector, traditiones, & conſtitutiones omnes tum Apoſtolicas, tum Eccleſiaſticas, omnemque ſacræ ſcripturæ par-*

tem juxta Ecclesiæ Catholicæ sensum. Confiteor septem verè, ac propriè esse Sacramenta, ritusque in eorum administratione, ab eadem Ecclesia approbatas recipio, atque admitto: ac in missa quidem profiteor ritè offerri Christum propitiationem pro vivis, ac defunctis, eundemq; in Venerabili Sacramento realiter, ac integre contineri. Constanter etiam teneo Purgatorium esse, animasq; ibi detentas suffragiis fidelium adjuvari: item sanctos honorandos atq; invocandos: eorumq; tum Imagines, tum Reliquias religiosè colendas esse: præterea facultatem esse in Ecclesia concedendi Indulgentias, earumq; usum esse salutarem. Denique pari fide credo alia omnia, quæ sancta, Apostolica, & Catholica Ecclesia Romana nobis credenda proponit: contrarias verò Hæreses omnes, atq; errores rejicio, & anathematizo. Porro in hac fide me ad extremum velle vivere, atque etiam mori liberè, planéque profiteor, & protestor.

Sic

Sic me Deus adjuvet, & omnes Sancti ejus. Eandem professionem fidei usurpabis in missa post Euangelium, & Vesperi ante nocturnam quietem.

2. Cum ad flagitium aliquod, turpe præsertim, vel designandum animo, vel opere, clàm patrandum instigaris, hunc fidei actum exerce. *Credo firmissimè hic, ac ubiq; Deum meum præsentem esse, non actionum modò; sed etiam quarumvis cogitationum inspectorem, scrutatorem, & severissimum judicē. Non video te quidem, Deus meus; sed tu tamen vides me. Impudens ego in tuo conspectu tantum scelus admittam?* ah! millies potius moriar.

3. Specialem pietatis sensum habe, & exhibe erga Christum in Eucharistia expresso fidei actu circa venerationem hujus Sacramenti; ut ita saltem ex parte, honos resarciatur, quem Hæretici partim negant, partim convellūt. Quare subinde locū, ubi Eucha-

ristia aſſervatur, adibis religioſæ venerationis cauſſa: ſacris benedictionibus, & ſupplicationibus publicis intereris, cum ſolemni ritu ſacra Hoſtia deferetur, vel adoranda proponetur; ob eandem cauſſam miſſam reverenter audies, cùm licuerit; & frequenter rite paratus menſæ Eucharisticæ accumbes.

4. Ex eadem viva fide, & ob eundem finem, nimirum ut Hæreticis repugnes, ſpeciali devotione ſanctos colito; feſtos ipſis dies ritè celebrato; eorum Imagines etiam privatim in Oratorio religiosè honorato; Reliquias, & Agnum Dei è collo geſtato.

5. Ex ſimili fidei motivo Indulgentiis lucrandis ſtudiosè operam pones, & tum hoc, tum aliis modis defunctorum animas in purgatorio detentas adjutabis.

6. Similiter aquam luſtralem aſſervabis domi, qua manè, veſperi, ſubindè ad ingreſſum, egreſſumq; te piè adſpergas. 7. Sæ-

7. Sæpe orabis, aliaque bona opera repetes ad impetrandam à Deo conversionem tum Hæreticorum, tum Ethnicorum, sive per te, si quid in hoc genere possis, sive per eos, qui fidei propagandæ studio operam etiam in extero orbe navant.

8. Denique fronte exporrecta, vultuque constanti fidem, ac Religionem Christianam, pietatemque profiteberis; quoties res, & tempus exigent. Quòd si fidem spiritualis ædificii basim succutiat dæmon (quod in morte præsertim efficere molitur) tu è contra, Non disputo tecum, inquies, sophista diabole: quas argumentorum umbras obtendis fugio, detestor: securè credo, quod una uniformique fide à Christo huc usq; tot sapientissimi, sanctissimiq; viri crediderunt, tot ubique miracula confirmarunt: credo, inquam, Deo meo, cujus revelationem mihi proponit Ecclesia

Apoſtolica, Catholica, Romana. Columna & fundamentum Veritatis, cum qua diſputes, ſi velis: ego in ejus fide vivam, ac moriar: quod coram cœleſti Curia, & omnibus hic adſtantibus proteſtor. Quare ſi per delirium verbum aliud, aut aliter ſonans exciderit, indictum volo. Adauge, Domine mi, hanc fidem, & tu ipſe reſponde pro me, quia vim patior.

SPEI.

1. MAnè à ſomno inter reliquas quotidianas preces ita orabis:

Deus infinitè potens: & ſummè miſericors: ego imbecillus, & miſer qui ex me nihil habeo, nihil valeo, nihil ſum, accedo ad te omnis boni fontem, ac infinitæ tuæ bonitati, meritiſq; filij tui, Redemtoris mei innixus ſpero firmiter, me à te obtenturum gratias, virtutes, auxilia, cæteraque omnia bona tum corporis, tum animi, quæ mihi neceſſaria ſunt, ut ad cœleſtem beatitudinem

tudinem pertingam. Ah quando id erit? *Quando veniam & apparebo ante faciem tuam: Da ſic curram ad brabeum, ut comprehendam.*

Hic Orationem Dominicam magno animi ardore pervolves, *Pater noſter qui es in cœlis, &c.*

2. Cùm die ſudo, ſerenáve nocte cœlum ridet, arridet humus, aut aliud quidvis placet, venuſtũ, opulentum, magnificum, exclama cum Auguſtino. *Si tanta, Deus meus, facis nobis in carcere; quid ages in palatio? ſi tam innumera, & varia nunc amicis pariter tribuis, & inimicis, quàm magna & dulcia ſolis es largiturus amicis: ſi tanta ſolatia in hac die lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum!*

3. Cùm affici te ſentis ad res infimas: reprehende teipſum, & hoc tibi probrum objice. *Quid, Animule mi, quid reculas iſtas miramur, & tãto licitamur, & tanto ſalutis periculo? quæris opes? Deus eſt omnia, Mundus nihil. Amas volupta-*

tes? Deus cœlo reposuit æternas: ambis honores? veros sectare. quid umbras, fumos, fungos sequimur? Denique, quid sola voluntate mentem pascis, id est, siliquis porcorum, regali dignus mensa? suspira, & suspice cœlum, cui nati sumus: illic bona & magna, & æterna sunt. cætera tanquam te minora, pedibus & animo preme, imò calca.

4. Cùm acerba, & dura pateris, corpore, morbis aliisque miseriis afflicto; cute manus unius manu altera quasi morsicatim nonnihil stringe, atq; Asinum tuum malis fatiscentem hoc stimulo adige. *Non ut jam, ita erit semper, imò nec erit diu; breve est, quidquid finem habet. Atqui scio, quod Redemtor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes in sinu meo.*

5. Cum res acerbæ Dei, & salutis

cau-

causa, animo intus reluctante, tamen exsorbendæ sunt, poculum hoc saccaro, & melle oblines. *Non sunt, anime mi, condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Leve, & momentaneum hoc supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ nõ videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ non videntur, æterna sunt.* Hoc sudario egregius pugil Paullus omnem gravissimorum laborum sudorem abstergebat; hoc proposito brabeo cæteri fortissimi Athletæ cum bestiis, cum ignibus, crucibus, mortibus ipsis fortiter pugnarunt, vicerunt. Si tentationum vi in desperationis abyssum, in mortis præsertim agone præcipitari te sentias, spei anchoram projice, dic: *Quid naufragaris anime? spera in Deo; quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei & Deus meus: projice te*

in eum, non subtrahet se ut cadas. Infinitè bonus est, proniorque ut beneficia conferat, quàm tu petere, aut sperare posses. Pater est, ipse enim te fecit, & tanti fecit: ut pro te servo redimendo Filium suum tradiderit: hic autem triginta tribus annis quid non fecit, quid non est passus? Iesum ipsum habes Advocatum, qui Patri ostendit vulnera, Mariam quæ Filio ostendit ubera, Angelum cui commissus, tot Sanctos quibus es commendatus. Eia adesto, Optime Iesu, ne sanguis tuus in me pereat: Ades Clienti, Maria: Adeste Sancti omnes: vestris præsidiis munitus, *Sperabo in Domino:* & licet *consurgant adversum me castra, non timebit cor meum.*

CHARITATIS IN DEUM, ET zeli divini Honoris.

1. Sæpe has faculas ore jactabis, quæ animum ad Dei amorem incendant. *Scriptum est,*

Dili-

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. Et qui non diligit, manet in morte. Præcipis ergo, bone Deus, ut te amem, & mortem, & quidem æternam minaris. An non satis magna pœna est, si non amem te: aut an opus est his vinculis legum, & tot minarum; ut ad tui amorem adstringar? adeo sum mentis inops, ut tua beneficia, gratias, perfectiones infinitas ignorem? an potius tam vecors, & excors; ut cor minimè habeam, quo bonum infinitum amem? te, inquam, bonitatis abyssum, te immensam bonitatem? Iam si amor amore compensari debet, quis amor amori tuo par esse potest? ab æterno amasti me, cum non essem, nedum redamare possem: animam, corpus, res universas condidisti mei causa, nullo sane commodo tuo, atque easdem etiamnum conservas mei causa. Angelis tuis mandasti, ut custodiant me in omnibus viis meis, etiā tum, cùm pecco in te. Merces mea esse voluisti magna nimis:

&, ut

&, ut ea potiar, vocasti ad gratiam, eaque amissa revocasti ad pœnitentiam toties. Suave hoc, sed longè suavius, ô dulcissime Salvator, quod volueris Deus fieri homo, tam dura & tam dira pati, ac denique in cruce mori pro me, qui te morti (ô me crudelem!) addixeram. Hoc verò omnium est suavissimum, quod morti vicinus, corpus & sanguinem tuum in Sacramento reliqueris pignus admirabile tui in me amoris. In tantorum autem beneficiorum compensationem nihil à me requiris, nisi ut redamem. O amorem! ô ecstasin amoris! quam dignus es, ô bonitas infinita, ut summè ab omnibus & super omnia ameris? Ita ergo amem te, ô Iesu mi, Salvator Amantium, & Salvatorum Amor: absorbeat me vis amoris tui, ut amore amoris tui vivã; & moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.

2. Ubi his faculis in animo divini amoris ignem excitaveris, mox prorumpes in has vivaces flammas: *O Deus mi, bonitas infinita, ego*

ego te amo super omnia: diligo te ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus meis: firmißimeq́ statuo omnia tua præcepta implere, & me semper conformare sanctißimæ tuæ Voluntati. Et propter quid sic amo te? sanè ob hanc præcipue caussam, quia dignus es infinities plus amari, quàm amare poßim, ob immensam perfectionem tuam, incomprehensibilem potentiam, altißimam sapientiã, infinitam sanctitatem ac bonitatem tuam, id est, propter temetipsum, ô Pater, ô Fili, ô Spiritus sancte, tres personæ, unus Deus, super omnia amo te, qui es mihi omnia. Amen Iesu.

Hunc actum juverit elicere sæpe sæpius, manè, in missa, vesperi, & quoties gravius cecideris: valet enim ad gratiam Dei statim recuperandam, valoremq; bonorum operum, ad ingens gratiæ & gloriæ augmentum, ad perseverandum in gratia, ad superandas tentationes, ad mortis securitatem.

3. Identidem in cœlum intuens, ac

ac ſuſpirans arceſſes donum Charitatis in Deum, hac precatiuncula. *O amor, qui ſemper ardes, & nunquam exſtingueris, charitas, Deus meus, accende me. Ah ſeriò amo te, pulchritudo tam antiqua, & tam nova ſeriò amo te. Noverim me, noverim te; ut odio habeam me, & diligam te.*

4. Gaudebis, cum ſenties ipſe, & aliunde intelliges tibi quidpiam fieri, aut evenire ex ſpeciali ordinatione divinæ Providentiæ: etiamſi res adverſæ, & acerbæ accidant: illudque Iob viri ſanctiſſimi carmen accine: *Sicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum.*

5. Mœrorem animo contrahes, ſi quid acciderit, quod divinæ voluntati diſſentiat, aut repugnet: ut ſi quis divinam Majeſtatem aliquo flagitio offendat, id ægerrimè, inquam, ſuſtinebis, noxamque omnem aut impedies, aut tolles, ſi quà poſſis.

6. Si

6. Si dæmon gravi quavis tentatione te divexet, sic precare: *Tentas me, Domine, an amem te, neque tamen ultra id quod possum. Scio quod sine gratia tua spernerem te, ô omne bonum, ut teterrimo hosti placerem, æternùm luiturus momentaneum gaudium. At juravi & statui custodire judicia Iustitiæ tuæ. Adjutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me.*

7. Quando peccati gravioris periculum aliud quodpiam, occasione inciderit: *discerpar in mille partes, rumparque potiùs*, inquies, *quàm ut Amori divino rem quamvis præponam*, Christianumque istud sæpius dæmoni tentanti obtrudes, *malo mori, quàm fœdari.* Quod si prolapsus sis miser, fac mox resurgas, & cum Deo per actum divini amoris, detestationem peccati, idoneamque expiationem redeas in gratiam.

8. Imò verò venialem culpam sciens, volensque, aut saltem ex propo-

propoſito, ac certo animi decreto ne admitte, ne quidem amiciſſimi hominis gratia. Amicitiæ humanæ omnes prius peſſum eant, quam ut Dei amor tantillum periclitetur.

9. Apprecaberis omnibus, & à Deo obtinere contendens ipſius Cognitionem, Amorem, Cultum: conaberiſque, quoad in te erit, efficere ut eum omnes cognoſcant, ament, colant.

10. Octavo quoque die (ſi ita viro Prudenti videbitur) ſacræ Chriſti menſæ aſſidebis, tum ut præſenti arctius conjungi, tum ut cum eodem ſuavius, familiariusq; converſari, imò deliciari poſſis.

12. In rebus quibuſcumq; creatis Deum, qui etiam in minimis maximus eſt, intuebere: in illis ipſum, & in ipſo illas amabis. Solem vides? Deus eſt, exclamabis qui pulcherrimam, jucundiſſimamque illam lucem diffundit Roſæ tenerum odorem miraris

Deu

Deus, dices, amabilior eſt. Apponuntur cibi? Deus, inquies, iſta mihi apparat. Idemque ages in cæteris.

RELIGIONIS IN DEUM, ac Sanctos.

1. IN rebus afflictis aut dubiis ad orationem confugito.
2. Cùm quavis de cauſa, aut ubivis, aut quandovis, Numini ſupplicas, Deo parem animi, corporiſque ſubmiſſionem, reverentiam, attentionem, Religionem exhibeto.
3. Orationes publicas, Miſſas, Conciones, aliaque Pietatis officia frequentato.
4. Res divinas rite procurato, ſacra fieri curato, decorem domus Dei diligito.
5. Si opes ſuppetunt, altaria ornato, calices, Pyxides ſacras, aliaque vaſa, quibus præſertim Euchariſtia aſſervatur, tuis ſumtibus comparato, iis potiſſimùm lo-

locis, ubi cultus divinus minus piè ac purè peragitur.

6. Iuramentis ne assuescito: si quid juraveris, servato.

7. Vota nisi præmeditata ne nuncupato, ubi nuncupaveris, sanctè exsolvito.

8. Peregrinationes sacras suscipito, religiosè obito, Christi præsertim patientis passus 5664, & 7 stationes, juxta formam peregrinationis Ierosolymitanæ: quàm Religionem in Iesum Crucifixum eximiam, ad animarum fructum multò præstantissimam, sicubi antiquata sit restaurato: si necdum fuerit, excitare adhibita opera enititor.

9. Sanctorum Imagines, & Reliquias debito cultu, & honore prosequitor: B. Virgini; Angelis, aliisq; Cœlitibus obsequium, cultumque deferto: ex Sanctorum numero Patronos deligito, colito, eorum vitam legito, & imitari studeto.

10. Pios

10. Pios ritus, ſacrasque cerimonias magni facito: ſuperſtitionem è contra omnem exſecrator.

CHARITATIS ERGA proximum.

1. SI quos florentes, & beatos videris, in iis Deum omnis boni fontem; contrà, ſi quos laceros protritosque aſpexeris, in iis Chriſtum crucifixum intuebere: ea cogitatione in utriuſque ſortis homines Amoris igniculos concipies, & foras ejaculabere. Amicos, Inimicos hîc nihil diſtingue. Charitas eos, illos æquè amplectitur: illos quidem teneriùs, hos verò generoſiùs.

2. Contendes votis, precibus, omni opera, & ſtudio: ut omnibus ea naturæ, fortunarum, Gratiæ præſertim divinæ præſidia ſuppetant, quibus verè beati eſſe poſſint. His bonis ſi quos affluere, benigniore rerum ſucceſſu uti perſpexeris, geſtientis intus ani-

mi signa frontis, oris, totiusque corporis hilaritudine expromes: Si quos iis carere, si impendente, aut præsente etiam malo periclitari; ægritudinem animo, vultumque contrahes; calamitatem, si quâ possis, amolieris.

3. Aliena sensa, dicta, facta in meliorem partem interpretabere, adspernabere neminem, nihil de fama cujusquam detrahes, nullo convicio probrove lacesses quempiam, honorem cuique deferes suum: si quis alteri obtrectet, oblatret, obmordeat, ibis contrà, si fas est; &, quo poteris clypeo, laborantem tuebere.

4. Quos poteris in divino timore, & cultu promovebis, & ad bona opera instigabis; Sacramentorum præsertim frequenter usum. Verbis quidem id agas, sed exemplis malim: illa movent, hæc trahunt.

5. Nulli opem imploratam denega: mutuò, commodatoq; des, si ro-

ſi rogaris: imò ne rogatus quidē, officia & obſequia ſponte defer.

6. Eſurientem paſce.
   Sitientem pota.
   Hoſpitem collige.
   Nudum operi,
   Infirmum viſita,
   Carcerem adi, Captivumque redime,
   Mortuum ſepeli.

Corporibus iſta Caritas impenditur; quæ ſequuntur, animis.

7. Ignorantem doceto,
   Peccantem corrigito,
   Conſilio juvato fluctuantem,
   Afflictum ſolator,
   Injurias perferto,
   Offenſam remittito.
   Pro vivis & defunctis, etiam inimicis, orato.

8. Inter Amicos amicitiæ nodū ſerva; imò adſtringe. Si ſolutus eſt, redintegrato. Fac in gratiam redeant, qui diffident: Lites, Rixas, Caritatis fœdiſſimam peſtē, inſectare; imò jugula, perime.

ZELI SALUTIS animarum.

1. Statas preces pro Ecclesia, nominatim pro Magistratibus cùm sacris, tum politicis, itemque pro Religiosis ordinibus tibi indicito: plurimum interest boni publici, Personis, quæ ad multos spectant, consuluisse.

2. Angelos hominum improborum, Hæreticorum, Infidelium obtestare, suos ut juvent: hi enim in istos multum possunt.

3. Libris editis, erectis seminariis, &c. item Catechismis, exhortationibus, concionibus, &c. seu per te, seu per alios, quibus artibus & opibus vales, bonum animarum promove.

4. Si quis mortale crimen admittit, vel jam admisit, omnem lapidem move; ut impedias, aut tollas: ita cura, ac si ipsemet vulnus accepisses.

5. Animas purgatoriis ignibus cru-

cruciatas solare, subleva Oratione, Iejunio, Eleemosyna.

6. Domesticorum curam singularem habe: hi ad te propius pertinent. Liberos à teneris erudi, Nutricem probam, bonos Magistros advoca. Hic res magna agitur; sed filiarum præsertim pudicitiam perdius & pernox excubitor observa, & serva; nihil eo thesauro expositum magis.

7. Familiam piè & Religiosè sic instítues. Manè à singulis privatim vel etiam communiter oretur. Hi, quibus vacat, rei sacræ intersunto, Vesperi conscientiam excutiunto. Singulis minimum mensibus peccata ritè expiantor, sacræ mensæ accumbunto. Hæc familiæ lex esto. Quisquis has ædes habitat, Sobrietatem, Castitatem, Iustitiam, Religionẽ, Probitatem denique omnem colito. Ne mentitor. Ne pejerato. Ne blasphemato. Ne aliis detrahito. Ne poculis ac lusibus intendito.

Ne verbis factisve cujusquam oculos, aures, animum lædito. Qui secus faxint, abscedunto.

POENITENTIÆ, ODII peccatorum, & Contritionis.

1. POEnitentis animi medullis has identidem faces injice: Heu me, quid cogitavi, quid dixi, quid feci demens? Peccavi contra Rationem, contra Conscientiam, & in quem, & quis? Egone vile & projectum cadaver, nihili Homulus, re quavis tetrior, & nequior, ausus sum, & qua fronte impudens, in ipsius Numinis, & Angelicarum Mentium conspectu, scelere meo impetere Creatorem, qui me ex nihilo fecit; Redemtorem, qui me suo sanguine refecit; Deum meum, omne Bonum meum? atqui stipendium peccati Mors. Ah quàm horrendum est, incidere in manus Dei viventis! Ergone pro momentanea voluptatula infamis

mis Mercator, Cœlo contemto, æternos mihi ignium Inferorum cruciatus compararim? Ah! pudet me mei, etsi nemo alius conscius foret; quid verò erit, cum toti olim Mundo revelabuntur fœditates & turpitudines meæ?

Sed quam immani ingratitudinis vitio scelus est à me perpetratum in eum, qui tot me beneficiis prævexit, ac prosecutus est? Quid! tot beneficia contemsisse me! O ingratissimum! Quasi pedibus proculcasse ejus sanguinem? ô me crudelem, ô ter impium! Crucifixerim ego te toties, bone Jesu, & patiaris? imò brachia extendas ad amplexum? caput submittas ad oscula? ô infinitam Bonitatem! pœnitet me scelerum meorum, non tam quia Cœlum perdidi, Inferorumve ignes commerui; sed quia te optimum Parentem meum offendi, qui non modo non punis; sed etiam vocas, & ut veniam petam, jubes,

minimè id jussurus, nisi parcere velles.

Et ecce prostratus coram te tanquam filius Prodigus, nunc clamare incipio, Pater, peccavi in cœlum, & coram te: non sum dignus vocari filius tuus, sed tu miserere, Pater.

2. Ubi incalescere animum senseris, mox in has vivi doloris flammas prorumpes: O benignissime Deus meus, O suavissime Iesu, doleo ex intimo corde, quod Majestatem tuam, ac Bonitatem infinitam peccatis meis offenderim, quam debeo, & nunc volo amare, amoque super omnia: idque quia tu es Deus infinitè potens, sapiens, Sanctus, & Bonus: cui peccatũ supra quàm dici potest, summè displicet, & adversatur. Quare propter hunc tui Amorem firmiter etiam statuo nõ ampliùs te offendere, omnes peccandi occasiones fugere, ritè cõfiteri, pœnitentiã implere, omne id,

ad quod obligor, restituere. Imò ut plenius satisfaciam, remitto nunc ex animo, si quis me unquam offenderit, meque totum tibi offero, simulque omnia, quæ mihi toleranda erunt, vel agenda. utq; suppliciter peto veniam delictorum meorum: ita spero fore per meritum preciosissimi sanguinis tui, Bone Jesu, ut impetrem quod peto, tuâque adjuvante gratiâ vitam corrigam, & ad mortem usque in tuo servitio perseverem, Amen Jesu.

Hunc Actum elicies manè, in Missa, Vesperi, & quoties in peccatum lapsus fueris; valet enim ad gratiam Dei recuperandam, &c.

3. Ut injuriam per peccatum divino Numini illatam vindices, pœnamque debitam imminuas, tute de teipso supplicium sume: atq; in primis à mensa non delicias tantum ablegabis, sed sublatis convenientibus etiam cibis,

non-

nõnihil diurno dimenſo ſubinde gentium defraudabis. Sunt ex Pœnitentibus, qui carnibus tantùm; ſunt, qui pluribus refectionibus duntaxat abſtinent: quidã ſolo pane, & aqua diẽ tranſigunt.
4. De ſomno & ſtrato ſubtrahes non modò quæ ad luxum & mollitiem pertinent: ſed etiam negabis, quod cæteroqui naturæ videri poſſet opportunum, ſed minùs neceſſarium. Huc faciunt vigiliæ, humique & aliæ duriuſculæ cubationes.
5. Corpus ipſum propiùs, preſſiúsq; affligabis, jam voluntaria Aſelli tui diverberatione, quæ tamen potius cutẽ perſtrictim mordeat, quam fodicet altius, ac vulneret: jam cilicinis aut thoracibus, aut cingulis è ſetâ pecudum, pilove horrẽtibus. Sed in his auſteritatibus modum Prudentia, Virq; cordatus præſcribant. Nihil æquè facilè, quàm ab animo pœnitente ſacram lineam tranſiliri, niſi modum ſerves. Hu-

HUMILITATIS.

1. Homo es nauci, ac nihili: insanis, si quid tibi arrogas: quare si quando laudaris, aut ab aliis æstimaris; in Deum omnis boni fontem, unde in te, si quidpiam est, profluxit, totum refunde.

2. Si vel semel dumtaxat per omnem vitam lethale peccatum animo designasti, aut reipsa perpetrasti, Inferorum pœnas es commeritus: cum igitur quodpiam aut acerbitatis, aut injuriæ, aut probri, sive à fortuna maligniore, sive ab inimicis patiare; tecum istud reputato: Pridem æternos ignium inferorum cruciatus promerui; & quid exiguum hoc, quod patior, ad illas pœnas?

3. Vestium ac mensarum luxus, familiæ, & supellectilis splendorem, ac pompam fuge.

4. Si quando superbiæ spiritus obluctentur, tibi sacrum istud

Acro-

Acroama repone; Putredini dixi, Pater meus es, mater mea, & soror mea, vermibus. Quid turges saccus stercorum, terra, cinis?

5. Te tuaque bona opera latere, & nesciri ama.

6. Officia vilia, & abjecta aucupare: & in iis te occupa.

7. Pronis auribus, Monentem, & Corrigentem audi: neque facilè excusationem obtrude.

8. Mortem, Iudicium, Inferos sæpe sæpius cogita: hæ depictæ in animo tabulæ te tibi repræsentant. Vesperi id ages commodius: lectus ipse sepulchri: somnus Mortis quædam imago est.

9. Ea, quæ ad tui commendationem faciunt, omnino sile: cave, ne quid de te rebusque tuis vendites, jactites, ostentes: naturæ dotes, virtutem, eruditionem, avorum ceras, & fumosas imagines. *Quid habes, quod non accepisti: si autem acceperis, quid* quasi de tuo *gloriaris!* homo vanissime, obline

obline te tuo luto. *Terra es, & in terram ibis.* Peccatum ſolum opus eſt tuum: hic habes, unde pudore afficiaris: non unde efferaris.

10. Oculos ſubmiſſos tene: terram, cùm es ſolus, interdum oſculare: indignus es, qui calces.

11. Cum per cœmeterium iter facis: *Hæc* (inquies) *constituta eſt domus omni viventi:* eò igitur omnes imus, & inſoleſcimus?

12. Neminem torvè contuere, aut morde verbulo, aut geſtu quovis offende. Eſt Manſuetudo Humilitatis aut partus, aut ſoror.

13. Aliorum opinioni facilè cedito, locum cæteris honoratiorem, commodioremve ſponte deferto: cum tenuibus, pauperioribus lubens, verſator: carceres xenodochia, noſocomia frequens adito.

14. Porrò non tantùm teipſum omnium ultimum, ac miſerrimū reputato: Sed exterius pro tali te

habe:

habe: imò ſtude, ut habearis: &, quando eo loco es, gaude.

15. Denique, ſi quando inſolentius animum inflari ſentias, tumorem hac cogitatione deponito: Quid fui, Domine quid ſum, quid ero Fui nihil, nihil adhuc ſum, & fortè ero pejus nihilo. Fui conceptus in originali peccato, ſum plenus peccato actuali; & quis ſcit, num ero condemnandus pœnâ gehennali? Fui certè ſperma fœtidum, ſum ſaccus ſtercorum, ero eſca vermium. Sic fui, ut damnari non poſſem; ſic ſum, ut ſalvari ægrè poſſim; ſic ero, ut æternum vel culpa mea damner, vel gratia tua ſalver. Quid fuerim, ſcio, nimirum peſſimus; quid ſim, neſcio; quid ero, æquè ignoro. Tu quod fui, Domine, ignoſce; quod ſum, corrige; quod ero, dirige: daque, ut ſemper hæc ſapiam, & de me humillimè ſentiam.

Mo-

MODESTIÆ.

MOdeſtia Humilitatis germana aut filia, decentiam compoſitionemque totius corporis curæ habet. Veſtes tibi velim nec ſordeant, nec reſplendeant. Sit inceſſus inartificioſus; at non levis. Geſtus iſtiuſmodi, quem ratio præſcribat. Caput erectum modicè inflexum: frons aperta, non caperata: oculi non ſuperciliosi, non errabundi, nuſpiam malè defixi: labia nec nimiùm preſſa, nec fœdè diducta: vox maſcula, ſonus nonnihil fractior, ſermo purus, ſimplex, innoxius: jam manus nihil comicum aut hiſtrionicum agant, abſint & ſcurriles geſticulatiunculæ. In his quid pecces, temet ſæpe roga, adde & fidum Cenſorem: ferè enim quiſque cæcus eſt. Modeſtiæ autem ſtudebis etiam privatim & cùm ſolus es, alioquin in publicum veniens impinges nullo negotio.

PATIENTIÆ.

1. Temporum injurias, frigus, æſtum, pluvias, naturæ incommoda, ſitim, famem, perfer non gravatè. Si vel unum dumtaxat peccatū veniale admiſeris, millies iſtis graviora mala es promeritus: id ſi cogitas, feres priora leviùs.

2. Morbos etiam quantumvis acerbos, ac diuturnos tanquam dona de Numinis manu accepta, exoſculator: beneficium eſt quod maleficium arbitraris. Id noverat qui olim dixit, Domine hîc ure, hîc ſeca, ut ſaltē æternùm parcas.

3. Si quid præterea calumniarū, aut injuriarum in te ab aliis congeſtum, conjectumque fuerit, obdura; & non ſolùm forti animo perfer, verùm etiam conſtanti.

4. In iſtis omnibus, quęcumque cauſa extiterint malorum, ſile: vel queri minimùm impatientis eſt animi. Cave ne naturam, cœlum, elemen-

elementa, homines ipsos accuses. Nemo tibi erit nocentior, quàm si tute non feras.

5. Si nihil interim consolationum, ne spiritualium quidem, tibi affundi sentis, si purum putum fel propinatur ex orbe; atque ita loquere, neque fas neq; bonum est accipere panem filiorum, & dare canibus. micas quidem cadentes catelli edunt: at ego non ita vixi, ut vel micam merear.

6. Hic tu mihi vide, ne in istis molestiis ex rebus creatis consolatiunculam putidiùs emendices.

7. Continget non raro, ut cùm maximè pius, ac probus esse velis: plurima, & plurimi obluctentur, etiam obganniant, & adlatrent: ne tu propterea vel latum unguem ab officio, institutove deflecte, injurias ne commemora aliis, imò ipse obliviscere.

8. Si amici, si parentes ipsi destituant, dic, nudus nudum Iesum sequar, dicamque posthac confi-

dentiùs cum Francifco; *Pater qui es in cœlis*: & cum Davide, *Pater & mater dereliquerunt me*; *Dominus autem assumsit me.*

9. In Fidei, ac Religionis causâ, si te aliquid pati tempora & res cogant; salta tu,& tripudia; & carceres, & mortem ipsam provoca: gaude, inquam, ride; non dico, ne time.

10. Si longo & gravi morbo afflictus motu Impatientiæ agiteris, animum titubantem ita sustenta: Sustine, Anime mi,qui te flagellat, Pater est amătissimus; qui urit & secat, Medicus est sapientissimus: jam meliùs & meliùs quàm postea,qui hîc urit, parcit. Ignis hic vitia excoquit,& splendorem auget:adhæc cogita Crucem,in Cruce Jesum,ad Crucem Mariam, sub Cruce tot Martyres: si compateris, corregnabis.

CHRISTIANÆ ABDICATIONIS rerum temporalium.

OMnibus iſtud dictum: *Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt regnum Cœlorum.* Sicut omnes ſpectat fulmen illud; *Væ vobis divitibus!* ad omnes etiam pertinet, *qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* i. Chriſtianus. Eſt autem paupertas voluntaria bonorum temporalium abdicatio, nonnunquam conſilii, nonnunquam præcepti. Igitur

1. Erues omnem pravam opum appetitionem, honori mundano nuncium remittes, carnis delicias ex animo aſpernabere: imò ipſa amicorum, rerumque terrenarum ſolatia reſpues, ſi te à virtutis ſtudio revocent; curas quoque ſuperfluas rerum, quæ ad hanc vitam pertinent, moderabere.

2. Avaritiæ ſordes, peſtem, imò

(quo nomine vocat Apoſtolus) Idololatriam ſordidiùs peſte, idolo diriùs, ac tetriùs odi, ac fuge.

3. Divitiæ, ſi affluant, noli cor apponere: ita regius pſaltes imperat; opum tuarum Dominus eſto: non tu earum mancipium.

4. Ita eſto animo compoſitus, Pati egeſtatem magis & mortem; quàm fraude, aut peccato quovis opes congerere: itemq; vel imperia ipſa ad Crucifixi pedes ponere, ſi cœlum vocat, imperatve.

5. Superfluum luxum in ſupellectili ac veſtitu, tum tuo, tum tuorum amputa.

6. Quod debes exſolve, aliena redde, cave ne pauperum mercedem durus apud te retineas: deteſtabile eſt hoc latrocinium.

7. In pias cauſas, templorum ornatum, Religioſorum, præſertim mendicantium, aliorumque piorum hominum neceſſitates, eleemoſynas congere: eos velim in primis tibi eſſe commendatos,

quos

quos aut necessitas ad fœda flagitia compellit, aut ingenuitas à stipe corroganda avocat.

8. E dapsili prandio, aut cœna, si epulum nuptiarum, justorum funebrium, aliaq; solemni causâ apparaveris, ex singulis missibus frustum exscinde, quod Christo præbeas, pauperibus, ægris præsertim domi jacentibus, in carcere, xenodochiis, aut nosocomiis.

9. Certam bonorum partem divide in pauperes hebdomadatim distribuendam. Fœneratur Deo, qui dat Pauperi. Petenti igitur stipem tu statim commodato: si nihil habes, at bona saltem verba reddito. Deus est, qui ex asse obulum repetit: liberos, famulos, ancillas ita loqui jubebis, Pater, Here, Christus pro foribus stat, eleemosynam petit, stipem filii ipsi ferant, ita olim misereri condoceantur. Pauperem unum aliquem continuò sustenta: E primo diei lucro, & è quovis contractu

partem deme, quam Pauperi numeres. Habes, quos imitere.
10. Hoc in pauperes officium nec moriens negliges: testamento ex parte saltem tuorum bonorum hæredem Christum scribe: ita vel tunc cœlum nundinare, aut rape.

OBEDIENTIÆ CHRIstianæ.

1. MAjorum tuorum, pastoris, Confessariique vocem, ut divinum oraculum, auscultato: iis, & tum magistratibus, tum parentibus, observantiam præstato; eorum dictis obediens esto.
2. Leges Reipublicæ, aut Communitates, in quâ vivis, exactè & constanter observato.
3. Multò magis si filius-familias, si servus, superiorum nutus attendito; imperata mox exsequitor.
4. Si à jussis abhorres, nisi rem ma-

malè præcipi liqueat, obtemperato.
5. Si dura imperantur, concoque, & peragito.
6. In obediendo caussam mandati ne quærito, ne excutito: ratio est voluntas & auctoritas imperantis.
7. Obedito autem sponte, sine morâ, sine tædio, & integrè, quæ his ornamentis caret obedientia, imago & umbra est: non virtus,

---

CASTITATIS.

EX lilio Mariano, quod publico dedi, hic quasi indiculum conficiam: tu ad fontem recurres, si plusculum velis.
1. Ingentem pudicitiæ amorem in te excitabis; impudicitiæ verò grave odium, imò bellum ardens, atrox, crudele.
3. Virginem Virginum, Angelum tutelarem, aliosque castimoniæ Præsides, præcipuo cultu &

obsequio tibi devincies, plurimum hinc præsidii erit in hoc certamine.

3. Removendæ omni studio omnis luxuriæ occasiones: hi enim fontes, & canales impudicitiarum exsistunt. Igitur

Oculos in formosulos, formosulasve, generatim in mulieres (illecebrosum genus) ne contorqueto, ne defigito: imò tui ipsius corporis aspectum reveritor. Aures, & ora obscenitati, & scurrilitati duplici serâ occludito. Tactum quemcunque periculosum, tanquam pestilentem afflatum, vitato: ab impudentioribus jocis, & gesticulationibus abstineto. Impudicos socios, & noxias familiaritates cane pejùs, & angue defugito. Cuticulam ne curato: imò duriùs tractato. Vestes molles, mollis Culcitra, pocula, & lautæ mensæ corporis, animique mollitiem, ac libidinem creant. Loca periculosa, otium, libros

libros obſcenos, inceſtas imagines & tabellas, theatra, tripudia, exſecrator: peſtes hæ quoque eſſe ſolent caſtimoniæ. Veriſſimum hic iſtud, qui *fugit Venerem, fugat*.

4. In pia cogitatione obdormiſcito: cùm expergiſceris, ſi quæ occurſent fœda phantaſmata, fortiter excutito: Ieſum, Mariam, Angelum tuum inclamato: animum alio magno niſu convertito.

5. Similiter ſi per diem recurſent ejuſmodi imagines, aut ſuggeſtiones, obſiſtito prece, & obfirmatione animi. Præſentia Dei, Angelique, crucis item Chriſti, Mortis, Iudicii, Inferorum memoria clavi ſunt, quibus importunarum cogitationum clavos extrudas.

6. Singulis menſibus virgineam Hoſtiam purè ſumito: animæ maculas ſæpiùs eluito; plerumque apud eundem, quem virum prudentem, ac probum tute tibi delegeris. Statim à lapſu conteritor, neque ultra viginti quatuor horas

horas Confessionem Sacramentalem differto.

7. Profuerit ad pulsum horæ Virginem Immaculatam, pro more salutare; ad ingressum, egressumve è domo, sacrâ aquâ lustrare corpus: signo Crucis frontem, & cor munire; sacram lipsanothecam gestare è collo, exosculari identidem; tum præsertim, cùm hostis instat, atque jam insilit.

8. Hic tandem cardo totius rei vertitur. Cùm primùm phantasmate, ac turpi imaginatione subortâ, moxque concitatis ad rebellionem appetitionibus, hostem adesse senseris: jam hic tibi omnis admovenda machina; aut periisti: *Serpens* iste, ubi primum ingredi licuit, progreditur, seque totum insinuat. Ergo statim vires omnes colligendæ: nascentem ut Hydram suffoces, aut extinguas. Mentem alio avoca: divinam opem advoca: mentem in

pro-

voluntatem, etiam facultatem dare pollicitus es: affectum mihi, quæso, pudicitiæ perseverantem tribuas: ut addatur gratia gratiæ, & jugo contagionis excusso suscipiam jugum sanctitatis, ambulemque corde sincero coram te, quoad immarcessibilem tandem percipiam in Cœlis coronam, & cantem laudes bonitati tuæ in secula. Amen.

INDEX.

APPROBATIO.

ACtus *Exteriores virtutum*, quos R.P. CAROLUS MUSART, S. Theol. Licent. & Professor, addidit Interiorib. R.P.D. BLASII PALMAE, Clerici Reg. Congregationis S. Pauli, ea sunt elegantiâ, doctrinâ, suavitate expressi, ut non possint non excitare in animis utentium insignes ad virtutem motus. Itaque perutiles futuri sunt, si publico donentur. Sic ego infra-scriptus ex auctoritate Reverendissimi D. Episcopi Atrebatensis censeo, Duaci 7. Nov. 1627.

Gualterus Paullus è Soc. Iesu, S. Theol. Licent. & Profess.